Phÿsicorum
Aristotelis
Liber.

K. Sanctissimæ

Phia

Baccalaureus

Suchathiter / das seind die
e vattere Bathzechab.

n sind. Der erst
Daniel von A-
Maecha / Stoch
son Hagith. Der
h sein weibe Eg
er regiert daselbs siben jar /
eissig jar.
Nathan / Sa
azu Jebehar /
bada / Eliphe
os weiber kin-

war Assa / des
a / des son war
war Jotham /
nasse / des son
erste Johana /
der ander

ARISTOTELIS DE ANIMO LIBRI TRES, IOACHIMO PERIONIO Benedictino Cormœriaceno interprete.

Eiusdem Perionij in eosdem libros Obseruationes.

Rerum & uerborum in ijs memorabilium Index.

BASILEAE, PER IOANnem Oporinum.

180394
I



D. PETRO CASTELLANO
Pontifici Matisconensi, Ioachimus Perionius
Benedictinus Cormœriacensis
S. P. D.

MAgnus est locus, nec minus utilis & iucũdus, Petre Castellane pontifex: atq; haud scio an alius homine dignior, quo philosophi de animo disputare solent. Nam cum turpe sit, de alijs rebus ignorantem quid ipse sit differere, cõstemusq; homines ex corpore & animo: certè hæc de animo quæstio hominis propria uidetur maximè. Cumq; ex cognitione non corporis, sed animi, qui rationis, qua belluis præstamus, est particeps, cuius rei causa nati fictiq; sumus, intelligamus: maximam hæc eadem cognitio nobis & utilitatem affert, & uoluptatem. Magnus uerò hic locus est, quo omnis uitæ actio, omnes uirtutes, artes ac disciplinæ continentur. Est enim is animus, in quo uitæ omnis fons situs est, omniumq; uirtutũ & artiũ semina quædam insita, aut potius innata sunt. Sed ut magnus est, sic difficilẽ eũ esse cùm res ipsa, quæ omnem sensũ effu

git, tũ philoſophorũ, qui de eo aliquid tradiderũt, multæ ac uariæ ſententiæ opiniones̄q̄ declarant. Quæ etſi ratione quadam omnes minimè caruerunt, ea tamen in qua Ariſtoteles fuit, ita uera eſt, ut reliquæ eſſ̄ciendæ, hæc una illius retinenda uideatur. Actribus quidem illelibris hanc de animo quæſtionem complexus eſt: ſed in primo, eorum qui ante ipſum de animi natura explicauerant ſententias, ut ſcis, & commemorauit & refellit, quo facilius mentem ſuam in cæteris exponeret. Eos ego cum in latinum conuerſos ederem, ad te potiſsimùm mittendos cẽſui, quòd cùm Ariſtotelea omnia, tum hęc illius tibi ualde probari intelligerem. Obſeruationes quaſdam adieci, & eas perpaucas, inſtituto meo conſentaneas. Verborũ enim in iſs ſum, nõ rerũ explanator & æſtimator. Quo in genere quoniam ea quæſtio quæ de ὠφελείᾳ tractari ſolet, uerſatur, eam omnino prætermittendam non putaui. Vale clariſsime põtifex. Lutetiæ Pariſiorum, xij. Cal. Aprilis. M. D. XLVIII.

ratione Gallica.

ARISTOTELIS DE

ANIMO LIBER PRIMVS,

Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno interprete.



Vm rerũ præclararũ, earumq; quæ in honore ac precio habentur, cognitionem aliam alia maiorem ac præstantionem existimemus, uel quòd certior sit, uel quòd in rebus & præstantioribus & maiorẽ admirationẽ excitantibus uersetur: profectò his duabus de causis scientiam quæ de animo instituitur, in primis rectè collocabimus: uideturq; eius cognitio cùm ad omnem ueritatẽ, tum uel maximè ad naturæ cognitionem magnũ adferre adiumentũ, quippe cum animantiũ quasi fons quidã et principiũ sit. Propositũ est aũt nobis hoc loco, primùm naturã eius, & essentiã cognoscere, deinde ea omnia quæ in eum conueniunt: quorum partim sunt propriæ animi affectiones, partim eo auctore etiam animalibus conueniũt. Sed difficillimũ est omnino aliquam de eo cognitionem, persuasionemq; sumere. Cum enim cõmunis etiã multis alijs hæc sit quæstio, (de natura dico, & essentia) fortasse cuipiã una quædam uia & ratio esse uideatur eorum omniũ, quorũ essentiam instituimus cognoscere: quemadmodũ etiã earum proprietatũ quæ per aliud conueniunt, demonstratio. Itaque hæc quærenda & inuestiganda ratio est. Quòd si non est una et cõmunis quædã ratio, quæ

in quærenda rei natura cernatur, difficilior etiam hæc existit disputatio. Erit enim explicandũ, quis cuiusq; sit modus. Si uerò perspicuũ sit, utrũ demonstratio, an diuisio, an aliqua etiã alia docendi ratio, quæstio est. Præterea multis quæstionibus erroribusq; implicita sunt ea, de quibus quærendũ est. Alia enim aliorum principia sunt, ut numerorũ atq; planorũ. Sed primùm necessariò exponendũ est, quo in rerũ genere uersetur: & quid sit, id est, sitne aliquid & essentia, qualitas, quantitas, an aliqua alia earum categoriarũ, quas explicauimus. Hoc etiam docendũ est, sitne in ijs quæ esse possunt, an in ijs potius quæ re ipsa sunt. Non enim parui refert. Videndum etiã est, utrũ ex partibus constet, an in partes diuidi nõ possit: et utrum sit omnis animus eiusdem speciei, necne. Si non unius speciei, utrũ specie an genere differant. Hoc enim tempore qui loquũtur ac quærũt de animo, de solo humano quærere uidentur. Obseruandũ etiã est, ne lateat nos, sit'ne eius una ratio et definitio, quemadmodũ animalis: an diuersa cuiusq;, ut equi, ut canis, ut hominis, ut Dei. Animal aũt commune aut nihil est, aut posterius, itemq; si quid aliud cõmune dicatur. Iam uerò si multi animi nõ sunt, sed partes: dicendũ est utrũ antè quærendũ sit de toto animo, an de partibus. Difficile etiã est quæ nam horũ alia ab alijs differãt, explicare: & utrum de partibus primũ, an de officijs earũ quærere debeamus: ut de intelligẽtia, an de ea parte animi quæ est mentis & rationis particeps: et de sensus munere, an de parte quæ sensus. est similis est ratio cæterorũ. Si munera quæ sint primùm quærendũ est, rursus quæret aliquis

aliquis sit' ne de ijs quæ his obijciũtur antè quærendũ, ueluti utrũ de re quæ sub sensum cadit, an de ui sentiẽ di: de re quæ ratione cernitur, an de ea parte animi quæ est mentis atq; rationis. Videtur aũt nõ solũ utile esse qd quidq; sit cognoscere, ad earũ causarũ quæ naturis essentijsq; cõueniunt, cognitionẽ et scientiã: quẽ admodũ in mathematicorũ artib. quid sit rectũ, quid inflexũ, aut quid linea, aut quid planum, ad perspiciẽ dũ quot rectis trianguli anguli pares sint, sed etiam ea quæ accidũt & cõueniunt, ad intelligendã rei naturã magnum afferunt adiumentum. Cum enim de ijs quæ rem consequuntur, uel omnibus, uel plurimis aliquid ad opinionẽ explicare possumus, tum deniq; aliquid de rei natura & essentia rectißimè poterimus dicere. Nam cum omnis probationis & demonstrationis initium à definitione sumendũ sit, non est id quidem dubium, quin eæ definitiones quibus ea quæ rem consequuntur, non solum cognosci nõ possunt, sed ne adumbrari quidem ea facile est, dialecticæ sint omnes, et minus plenæ. Hoc etiam dubitationem affert, animi perturbationes sint'ne communes omnes, ad totumq; pertineant, an sit aliqua etiam ipsius animi propria. Hoc enim intelligi necesse est, etsi difficile potest. Quanquam autem ex plurimis animus nec accipere ulla, uel pati, nec facere uidetur sine corpore: ut irasci, cũfidere, appetere, & omnino sentire: tamẽ intelligẽtia eius maximè propria uidetur. Quod si hoc ipsum aut actio est eius partis animi in qua uisa 'imprimuntur aut sine ea non est: certè sine corpore cõstare nullo modo potest. Ac si quod est munus, & si qua est

perturbatio animi propria, is separari potest. Sin nullum eius proprium est, separari non potest: sed quemadmodum ei quod rectum est, quia rectum sit, multa accidunt & conueniunt: ueluti æneæ sphærã per punctum tangere, non tamen eam tanget, cum separatum erit id quod rectum est. Separari enim non potest, siquidem semper est corpori alicui coniunctum. Videntur etiam omnes animi perturbationes cum corpore cohærere: ut ira, ut clementia, ut metus, ut misericordia, ut audacia, præterea gaudium, amor & odium. Nam simulatque hæc insunt, aliquid corpus patitur & accipit. Quod hinc perspici potest, quia interdum à magnis & euidentibus quæ incidunt perturbationibus, nec iracundia concitamur, nec metu commouemur: nonnunquã uerò à paruis, ijsq; obscuris commouemur, cum corpus irascitur, et ita affectum est, ut cum irascitur. Quod hinc etiã est euidentius. Cũ enim res nulla terribilis occurrit, in ijs sumus perturbationibus, in quibus is qui metu afficitur. Quod si ita est, profectò perturbationes, rationes sunt et cogitationes cum materia coniunctæ. Ex quo fit, ut etiam definitiones sint eiusdem generis: ueluti ira motus est quidam talis corporis, aut partis, aut facultatis profectus ab hoc huius gratia: ob eãq; causam physici est demũ, animi aut omnis, aut eiusmodi cognitionem propositam habere. Sed aliter physicus, aliter dialecticus quodq; horũ definiet: ut si quæratur quid sit ira, hic libidinẽ ultionis ob hanc causã definiet: ille uerò, feruorẽ sanguinis in corde, aut caloris. Atqui eorum hic materiam explicat, ille formam atque rationem. Hæc enim

forma

forma & ratio est ipsius rei, quam necesse est esse in materia huiusmodi, si sit in rerũ natura. Id quod in domo perspici licet, cuius forma et ratio hæc erit, integumentum quod uentorum, imbriũ, & caloris impulsus incommodaq; propulset. In qua tradenda physicus lapides et lateres, lignaq; explicabit: alter in his formã, quæ hac uel illa de causa adhibita sit. Vter tandem horum physicus habẽdus est? Is ne qui ita in materia occupatus est, ut formam ignoret, an is qui solam formã consectatur, an potius qui in utroque uersatur? Illorũ uerò aliquis uterque est, aut non est quisquã, qui in ijs rebus quæ materiæ ita cõueniunt, ut separentur: nec quatenus separari possunt occupatus sit. Sed physicus in ijs omnibus uersatur, quæ sunt huius uel illius corporis, et huius uel illius materiei officia et consequentia. Quæ autem non sunt eiusmodi, in ijs alius occupatus est. Ac si in aliquibus uersetur casu ac fortuitò, artifex, ut faber, & medicus. In ijs autem quæ separari illa quidem non possunt, sed quatenus non sunt huius uel illius corporis proprietates, & ex detractione rei de materia constant, mathematicus cernitur. Quatenus uerò separatæ, detractæq; sunt, primus philosophus. Sed eò reuertendum est, unde fluxit oratio. Diximus animi perturbationes esse, quæ à materie animalium quam natura dederit, abesse non possint: siquidem eiusmodi sunt ira & metus, non quemadmodum linea & extremitas.

Necesse est autẽ eos qui de animo disputant, simul de ijs quærere quæ suppetere debent: persequentesq; priorũ sententias, eadẽ oratione persequi eos omnes, Cap. 2.

qui aliquid de eo dixerunt, ut & ea quæ præclarè ab eis tradita sunt, mutuemur: & quæ secus, ea prætermittamus. disputationis autẽ initio ea ponemus, quæ ei à natura conuenire maximè uidentur. Id quidem quod animatum est, ab eo quod animo caret, duabus rebus maximè distingui uidetur, motu et sensu. De animo uerò hæc potißimum ab ijs qui ante nos fuerũt, accepimus. Nonnulli enim in ea sententia sunt, ut dicant, primum ac maximè animum esse id quod moueat: qui cum existimarent id quod ipsum se non agitet, non poße aliud motu ciere, animum aliquid esse eorum quæ ita mouerent, putauerunt. Itaque Democritus ignem quendã & calorem eum esse dicit. Cum enim numerus sit infinitus figurarum & corpusculorũ quæ diuidi non possunt, ea quæ rotunda sint, ignem et animum censet eße: ut in aere ea quæ ramenta uocantur, quæ in radijs qui per feneßras introeunt, uidentur: quorum concursum & dißipationem principia ait esse naturarũ omnium. Qua in sententia est quoq; Leucippus. Horũ aũt quæ rotũda sunt, animũ esse dicunt, quòd huiusmodi fluxus facillimè per uniuersita tẽ possunt peruadere, & mouere cætera omnia, cum ipsa etiã motu creantur, quod existimauit animũ esse id quod motũ animantibus afferat. Quocirca uitæ finem ac terminũ esse respirationem, cũ id quod corpora circunfundit, cogitur, exhalatq; figuras, quæ animantibus motũ afferunt: propterea quòd nec ipsæ qui escunt, nec extrinsecus unquam ullũ adiumentũ affera tur cum alia eiusdẽ generis respirando introeant. Prohibere enim ea, ne quæ in animantib. insint, effluant,

cum

tum id quod uim habet cõcretionis, ipsa cohibeant et coerceant: atq; ad eum finem uiuere animantia, quoadhoc facere possint. Videtur etiam id quod à Pythagoricis traditur, eódem pertinere. Eorum enim nonnulli tradiderunt, animum esse ea corpuscula quæ in aere uideantur, quidam idquod hæc moueat. Quæ quidem perpetuo motu cieri diximus, si sit tranquillitas. Eadem est sententia eorum, qui aiũt animum esse id quod seipsum mouet. Vidẽtur enim hi omnes existimare, motum animi proprium esse maximè, cæterisq; omnibus animum motum afferre, ipsum autem à se moueri: propterea quòd nihil cernerent quod uim mouẽdi haberet, quin ipsum quoq; moueretur. Itemq; Anaxagoras animum esse dicit qui moueat, et si quis alius dixit, à mente hanc uniuersitatem moueri. Sed nõ omnino eadem eius, quæ Democriti, sententia est. Hic enim omnino idem animum & mentem dicit esse. Id enim uerè esse, quod esse uideatur. Itaque præclarè ab Homero dictũ esse, Hectorem iacere aliud sentientẽ. Non igitur mentem ut uim quandam ad uerum adhibet, sed idem animum mentemq; esse confirmat. Anaxagoras autem minus de his sententiam suam exponit. Multis enim locis causam boni & recti mentem tradit. Alibi uerò mẽtem idem dicit esse quod animũ. In omnibus enim animantib. eam inesse, & magnis et paruis: & ijs quæ in precio habentur, et in ijs quæ nõ habentur. Sed perspicuum est, eam mentẽ quæ ex prudentia nominatur, non omnibus æquè animantibus, imo uerò ne omnibus quidẽ hominibus esse cõcessam. Atque ij quidem omnes, qui rationem habuerunt

motus

motus rerum animatarum animum id, in quo uis esset maxima ad mouẽdum, esse posuerunt. Qui autem cognitionẽ in eo & sensum rerum quæ sunt, spectarũt, ij animum principia dicunt: quorum partim plura principia faciunt, partim hoc unum, ut Empedocles ex elemẽtis omnibus, esse autem unumquodq; horum animum tradit his uersibus:

Terram nanq; homines ex terra uidimus ipsi,
Sic genus ex unda nostrum cognouit & undam,
Aethere diuinum sic æthera, & ignibus ignes,
Visus amore amor est, tristi discordia lite.

Eodemq; modo Plato in Timæo animum ex elemẽtis facit. Rem enim similem simili cognosci, res autem constare ex principijs. Similia ab eo in libris quos de philosophia scripsit, tradita sunt. Ipsum enim animal ex unius idea, primiq; longitudine, latitudine, & altitudine constare, cæteraq; eodem modo. Præterea alio etiam modo hæc tradit, mentem esse unum, duo scientiam: uno enim modo unum dici. Latitudinis autem numerum, opinionem: soliditatis uerò, sensum esse. Numeros enim species ipsas, & principia dici rerum omnium, eosq; esse ex principijs & elementis. Iudicari autẽ res partim mente, partim scientia: alia opinione, alia sensu: hos uerò numeros species esse rerũ omniũ. Quoniam autẽ animus uidebatur esse, et id quod ad mouendum, & id quod ad cognoscendum uim habet: sic nonnulli hæc duo coniunxerunt, ut animũ numerum seipsum mouentem esse dicerent. Discrepant autẽ de eo quæ sint, & quot principia: sed ij maximè qui corporea faciunt, ab ijs qui ea corpore uacare uolunt:

lunt: minus autem ab ijs qui coniungunt, & ex ambobus principia ponunt. Discrepant etiam de multitudine: alij enim unum, alij plura ponũt. Conuenienterq; his animum etiam definiunt. Vim enim mouendi habere, naturã principiorum esse existimant, non sine causa. Itaq; uisum est nonnullis ignem esse. Hunc enim & ex minutißimis partibus constare, & unum ex omnibus elementis maximè uacare corpore. Præterea cùm moueri ipsum, tum cætera primũ ciere. Democritus autem subtilius exposuit, cur utrunq; horũ animo cõueniret. Animum enim & mentem idem esse, mentem autem constare ex primis, & ijs corporibus quæ diuidi non possint. In eo autem uim esse ad mouendum, propter partiũ paruitatem & figurã: figurarum autem maximè uolubilem dicit eam esse, quæ sit globosa: quo in genere sit & mens, & ignis. Anaxagoras uerò uidetur ille quidẽ aliud animum, aliud mentem dicere, quemadmodum etiam suprà diximus: sed tamẽ utroq; pro una natura utitur, nisi quod mentem unam ex omnibus maximè principium esse ponit. Itaq; eam unam ex rebus omnibus simplicem esse dicit, omnisq; concretionis expertem, ab eaq; liberam. Vterq; autẽ eidem principio tribuit & cognitionẽ & motionem, cum dicat à mente omnia moueri. Videtur etiam Thales ex ijs quos commemorant, animum quiddam quod uim habeat mouendi, existimare. Siquidem in lapide animum ineſſe dixit: propterea quòd ferrum ad se trahat & alliciat. Diogenes autem, quemadmodum etiam nonnulli alij, hũc aera putauit omniũ esse tenuißimum, & principium: ob eamq; causam & cognoscere ani-

re animum, & mouere quatenus principium, ex eo cætera cognoscere, quatenus minimis partibus constat, uim mouendi habere. Heraclitus etiam animum principium esse dicit, siquidem exhalationem, ex qua constent omnia: etenim eum maximè expertē esse corporis, et semper fluere. Quod autē mouetur, eo quod moueatur cognosci. In motu uerò esse & continenter labi ac fluere omnia, & ille & plerique alij putauerunt. Idem etiam quod hi, Alcmæon de animo sentit. Ait enim eum immortalem esse, propterea quòd similis sit rebus immortalibus: idq; ei conuenire, quod semper moueatur. moueri autem etiam diuina omnia continenter: ut lunam, solem, stellas, totumq; cœlum. Eorum uerò qui paulo importuniores sunt, nonnulli aquam etiam eum esse dixerunt, ut Hippon. Videntur autem in hanc adducti sententiam ratione uiq; seminis, quòd humidum sit rerum omnium. Etenim ea ratione ij refellūtur, qui animum dicūt esse sanguinem, quòd semen non sit sanguis, hoc autem animi principium. Alij aūt, in ijs Critias, sanguinem eum esse ponunt: quòd sensum animi proprium maximè existiment, hunc autem sanguinis naturæ conuenire. omnia enim elementum hoc iudicē sumpsisse præter terram: de qua nemo sententiam suam explicauit, nisi si quis eam dixit ex omnibus elementis constare, aut ipsam esse uniuersitatem. Definiunt autem omnes animum trib. rebus, motu, sensu, & uacuitate corporis, quorū quodq; ad principia redigunt. Itaq; ij qui eum cognitione definiunt, aut elementum eum faciunt, aut ex elementis, in eoq; inter se nisi de una re consentiunt.

Aiunt

Aiunt enim, rem similem à simili cognosci. Quoniam enim animus omnia scientia comprehendit, ex omnib. eum elementis cõstare faciunt. Ac ij quidem qui unam quandam causam esse dicunt, unumq; elementum, animum etiam unum esse ponũt: ut ignem, aut aera. Qui autem plura principia ponunt, animum etiam plura esse confirmant. Anaxagoras uerò unus perturbationis perpessionisq; expertem mentem esse tradit, nullumq; habere cum cæteris commercium. Qui cum sit eiusmodi, tamen quemadmodum notiones rerum percipiat, quaq; causa, nec ille tradidit, nec ex ijs quæ dicta sunt, perspici potest. Qui autem repugnantiam in principijs statuunt, ij ex contrarijs etiam animum constare uolunt. Qui uerò alterum contrariorum, ut calorem, uel frigus, aut aliquid aliud eiusdem generis, animum etiam eodem modo aliquid horũ esse ponunt. Itaq; nomina consectantur, alijq; τὸ θερμόν, id est calorem esse dicunt: propterea q; ex eo etiam τὸ ζῆν, id est uita appellata sit: alij τὸ ψυχρόν, id est frigus, quòd ex respiratione & refrigeratione animus sit uocatus. Atque hæc quidem sunt, quæ à prioribus de animo tradita accepimus: quibusq; causis ducti illi ita hæc tradiderunt, diximus.

Nunc uidẽdum est primùm de motu. Profectò enim non solum falsum est, eius naturam & essentiam eiusmodi esse, quam aiunt ij qui animum statuunt id esse quod seipsum mouet, aut mouere potest: sed aliquid etiam est eorum quæ fieri non possunt, confiteri ei motum ineße & conuenire. Atq; illud quidem antè diximus, non necesse esse id quod moueat, ipsum Cap. 3.

etiam

etiã motu cieri. Duobus autẽ modis omnia mouẽtur, aut alieno & externo impulsu, aut proprio ac suo. Alieno autem motu cieri aliquid dicimus, quod eo ipso mouetur, quia in eo sit quod ipsi mouetur, ut nautæ: non enim eodem modo, quo nauigium, mouentur, quandoquidem hoc per se mouetur, illi quòd sint in eo quod mouetur. Quod in partibus perspici licet. propria est enim motio pedum ingressus, quæ etiam hominum est, quæ tum eadem nautarũ non est. Cum igitur duobus modis aliquid moueri dicatur, nunc uideamus, an animus per se moueatur, eiq; motus conueniat. Cum motus quatuor genera sint, loci mutatio, cõmutatio, imminutio, accessio, aut uno horum, aut pluribus, aut omnibus cieatur necesse est. Quòd si alieno pulsu non mouetur, per se ac natura sua in eum motus conueniet. Si ita est, etiam locus: propterea quòd omnia motus genera quæ cõmemorata sunt, in loco fiant. Quòd si animi natura & definitio est, se ipsum motu ciere, certè motu alieno et externo minimè agitatur: quemadmodum ea res quæ alba est, & quæ trium cubitorum. Mouentur enim hæ etiã res, sed pulsu externo: quoniã corpus in quo insunt, ipsum mouetur. Itaque eorum locus nullus est. At animi erit, si modò natura motus sit particeps. Præterea si natura ac ui sua mouetur, etiam ui ac necessariò mouebitur: si ui, etiã natura. Eodemq; modo de quiete iudicandũ est. Quòd enim cunque suapte natura aliquid mouetur, in eo etiam natura quiescit et insistit: itẽq; quo ui impellitur, in eo quoque ui quiescit. Qui autẽ animi uiolenti sint & motus & status, ne ijs quidem qui fingere uelint,

facilè

facile est ad explicandum. Iam uerò si ad superas feratur, ignis erit: sin infera capessat, terra. Horum enim corporũ hæ sunt motiones propriæ. Eadẽ etiã ratio est earum, quæ inter illas interiectæ sunt. quoniamq; ipse corpus mouere uidetur, consentaneum est, ipsum ab eo ijs mouendi generibus cieri, quibus etiam ipse agitetur. Quòd si ita est uerè, etiam reciprocando licebit dicere & generatim & speciatim, quocunque motu corpus agitetur, eodẽ etiam animum cieri. Corpus autem interit. ita fiet, ut animus quoq; unà cũ corpore hoc ipso motu agitetur, atque is aut totus & uniuersus intereat, aut eius partes uicißim. Quod si fieri potest, hoc etiã fieri poterit, ut ipse cum è corpore excesserit, rursus intret. Ex quo sequetur, animãtia quæ mortua sint, excitari ac reuiuiscere. Motu aũt eo qui nõ est per se, etiã ab alio moueri potest: impelli enim ui animal potest. at non necesse est id ab alio moueri, cui cõuenit per se moueri suapte natura, nisi pulsu alieno: quemadmodũ ne id quidẽ, quod per se bonũ est, aut propter se, partim propter aliud est, partim alterius gratia. Animus aũt maximè dici potest moueri à reb. quæ subsensum cadũt, si modò moueatur. Atqui si seipse mouet, etiã ipse mouebitur. Ex quo fiet, ut si motus omnis est quædam rei quæ mouetur, quia moueatur ex suo statu, dimotio: animus à sua natura discessurus sit, nisi externo se motu cieat. atqui motus is quo natura eius cietur, interior est. Nonnulli etiã corpus aiũt ab animo cieri, ut ipse mouetur: ueluti Democritus, qui eadem dicit, quæ Philippus Comœdiæ præceptor. Vt enim Dædalum ait feciße Venerem ex ligno,

quæ moueretur, effundentem argentum fusile: sic Democritus moueri orbes, qui non sint diuisi, propterea quòd eam uim habeant, ut nunquam quiescant & insistant, unáque secum trahant ac moueant omnia corpora. Nos uerò quæramus, non ne hoc ipsum faciat quiescere. Quo autem pacto facturus sit, id difficile dictu est, aut potius explicari non potest. Omninóq; non ita uidetur animal mouere animus, sed quodam iudicio & intelligentia. Eodem autem modo Timæus etiam tradit, naturalibus rationibus corpus ab animo moueri. Quoniam enim se ipse mouet, hoc ipso eum etiam corpus mouere: proptera quòd unà cum illo coniunctus, colligatusq; sit. Constare enim eum ex elementis, diuisumq; esse in numeros harmoniæ participes, ut & sensum habeat, & insitam cognatamq; harmoniam, & ut uniuersum consentaneis motionibus feratur, cum rectè ferretur. Deus eam motionẽ in orbe, ut ait, incitauit, factáq; partitione ex uno orbe duos dupliciter inter se cohærentes fecit: rursus unũ in septẽ orbes diuisit, quasi sint cœli motus, animi motiones. Ac primùm quidem illud nõ rectè censuit, animum magnitudinem esse. animum enim uniuersitatis huius, eiusmodi certè esse uult, qualiscunq; est ea quæ mẽs uocatur. Non enim quidẽ certè eiusmodi eũ statuit, qualis est sentiens, aut qualis appetens. Horum enim motus non in orbem torquetur, & mens una est et continuata, ut etiam intelligentia: intelligentia porrò mentis notitiæ sunt. Hæ autem ordine quodam unum sunt, ut numerus, non ut magnitudo. Itaque ne mens quidem ita est continuata, sed uel partium

tiũ expers est: uel nõ est ita cõtinuata, ut aliqua magnẽ tudo. Quo enim pacto si magnitudo sit, intelliget? utrũ omnino ac per se tota, an quauis eius partiũ? et partium utrum magnitudinis instar, an puncti uia atq; ratione, si modò punctũ partẽ licet dicere. Ac si puncti uia atq; ratione, punctorũ autẽ infinitus est numerus: profectò nunquã ullus erit cognoscendi modus aut finis. Sic magnitudinis accessu plerunq;, aut sine fine ac modo potius eandẽ rem intelliget. Quod etiam semel ac omnino fieri potest. Quod si quãuis partem facile tangere potest, quid in orbẽ incitari attinet, aut etiã omnino magnitudinem constare? Sin necesse est totum orbem tangentem intelligere, quis est tactus partium? Quo etiam pacto uel id quod partibus constat, re ea quæ partibus careat, uel rem quæ partiũ expers sit, ea quæ partibus constet, animo percipiet? Quãquã necesse erit mentẽ eße hũc orbem. Nã cum mentis motus intelligentia sit, orbis aũt cõuersio, profectò si notio mentis sit conuersio, mẽs etiã orbis erit, cuius sit intelligentia eiusmodi conuersio. Atq; etiam perpetuò aliquid intelliget: hoc enim faciat necesse est, siquidẽ sempiterna sit conuersio. Animi quidem notionibus et ijs quæ in faciendo, & ijs quæ in agendo consistunt, certi sunt quidam propositi fines. Omnes enim aliò referũtur. Eæ aũt quæ cõtemplationis cognitionisq; sunt, rationib. eodẽ modo definiũtur. Ratio porrò omnis, uel definitio est, uel demonstratio. Demonstrationes uerò & à principio ducũtur, & habent finẽ sibi quodã modo propositũ, uel ratiocinationẽ, uel cõclusionẽ. Quòdsi minus cõcludũtur, at certè nõ uicißim ad

principium ratione, sed assumpta semper propositione, uel sumptione, recta ad finem perueniũt. cũ rursus ad principium conuersio reuertatur, definitiones porrò omnes suo fine concluſæ sunt. Præterea si eadem cõuersio sæpe eueniat, idẽ sæpe intelligentia cõprehendere oportebit, & animi perceptio propius ad quietem & statum quàm ad motum accedit: quod de ratiocinatione iudicandũ est eodem modo. Neq; uerò beatum est id quidem quod non est facile, sed potius uiolentum. Quod si motus eius natura et essentia nõ est, contra naturam mouebitur. Atq; etiam absurdum est, eam cum corpore commercium habere, cum eius uinculis solui non possit: idq; præterea fugiendum est. siquidem melius est menti non esse cum corpore, quemadmodum dici solet, & pleriq; censent. Fingitur etiam causa incerta cœli conuersioni. Nam nec animi natura & essentia causa est conuersionis, sed per aliud ita mouetur: nec corpus causa est, sed animus illi potius. Nec quia hoc modo melius dicitur: sic enim oporteret Deum efficere, ut animus uolueretur: propterea quòd ei melius sit moueri, quàm quiescere, & hoc modo quàm aliter moueri. Sed quoniam hæc quæstio alijs locis commodius tractabitur, eam hoc tempore prætermittamus. Illud autẽ alienũ & huic disputationi & plurimis earum quæ de animo instituuntur, accidit, quòd coniungunt et collocant animum in corpore, nec quam ob causam exponunt, nec quemadmodum corpus affectum esse oporteat. Quod necessariũ uidetur esse. Vtriusq; enim societas & coniunctio facit, ut animus agat, corpus accipiat atq; patiatur: &

hoc

hoc moueatur, ille moueat. quorum nihil ijs quæ casu occurrunt, aliud alij conuenit. At uerò hi solum exponere conantur, quid nam sit animus: de corpore autẽ quod illius est domicilium et receptaculum, nihil præterea explicant, quasi uerò fieri posßit, ex Pythagoricis fabulis, ut quiuis animus in id corpus quod occurrerit, immigret, cum in suo quicq; genere permanere uideatur. Similiter autem dicunt, ut si quis fabrorum artem in tibias ingredi assueueret. ut enim ars instrumẽtis, sic animus corpore uti debet.

Cap. 4.

Alia etiam de animo sententia tradita est, quæ plerisq; illa quidem probabilis, nec minus quàm ulla alia earum quæ commemoratæ sunt, uidetur: sed causam quasi rationes calculorum rationibus à uulgo petitis dedit. Nonnulli enim eum harmoniam quandam esse tradunt. Etenim harmonia temperationem compositionemq; esse quandam contrariorum, & corpus cõstare ex contrarijs. Atqui harmonia ratio est quædã eorũ quæ confusa sunt, aut compositio: quorum neutrum esse animus ullo modo potest. Præterea harmoniæ nos est mouere, quod maximè omnes animo tribuunt. Aptius uerò in ualetudine, omninoq; in uirtutib. ad corpus pertinentibus harmonia & intentio, quàm in animo, dicitur. Quod facilius etiã animaduertetur, si quis alicui cõcentui animi affectiones atq; munera attribuere conetur. Difficile enim est accommodare. Iam uerò duobus nobis propositis, concentum uerißimè dicimus in ijs quæ motum et situm habent, aptam magnitudinũ compositionem, quando ita conueniunt inter se, ut nihil eiusdem generis recipiant, atq; hinc

eorũ quæ inter se cõfusa permixtaq; sunt, proportionẽ, quod neutro modo cõsentaneum est, partiũ autẽ corporis compositio optimè cõstat. Nã et partiũ multæ cõpositiones sunt, et multis modis constãt. Cuius igitur, aut quomodo existimãda est mẽs esse cõpositio: uel pars ea in qua sensus est principiũ, uel ea in qua insunt appetitus? Itemq; illud absurdũ est, animũ esse rationẽ modũq; temperationis. Neq; enim eandem habet rationẽ elementorum permixtio, qua caro & qua os temperatũ est. Sic igitur fiet, ut multi sint animi etiã toto corpore confusi, si quidem omnia ex elementorũ confusione constant: et confusionis ratio cõcentus atque animus esse ponitur. Hoc etiã ab Empedocle, qui unumquodque eorũ in ratione & proportione quadam esse tradit, quæri potest, utrũ animus sit proportio, an potius cum aliquid aliud sit, insitus sit in cantibus? Illud etiã, utrum amicitia cuiusuis permixtionis causa sit, an eius quæ ratione et proportione constat? atq; hæc ipsa utrum ne sit ipsa ratio, an aliquid à ratione seiunctũ atq; diuersum? Atq; hæc quidẽ huiusmodi dubitationes habent. Quòd si animus diuersus est à temperatione, quid tandẽ simulatq; caro est, aliæq; animantis partes, tollitur? Præterea si nõ sunt aquæq; partium animata est, & si non est animus compositionis ratio, quid est quod discedente animo intereat? Illud igitur perspicuũ est ex ijs quæ dicta sunt, fieri nõ posse, ut animus sit concentus, & in orbem feratur, fieri autem potest, ut quemadmodum dixi, & fortuitu aut per aliud moueatur, & ipse moueat: ueluti ut moueatur id in quo ipse inest, idque ab animo agitetur: alio

lio autem modo, moueri loco ipse nullo modo potest. Sed commodius de eo hoc ipso quia moueatur, quærere potest, si quis hæc quæ sequuntur, considerauerit. Animum enim dicimus dolere, lætari, confidere, timere: præterea irasci, sentire, atque intelligere, quæ omnia motus uidentur esse, ex quo aliquis putabit eũ moueri, quod non est necesse. Si enim etiam uerissimè dolere, aut gaudere, aut intelligere motus sunt: eorum etiam unumquodque moueri uerum est, moueri autem illud ab animo dicitur: ut irasci, uel timere, eo quòd hoc modo cor mouetur: intelligere uerò uel idem est, uel potius aliquid aliud. Horum aũt partim eueniunt tũ cũ aliqua loco mouentur, partim cũ commutantur. Quæ autem sint, quoq; modo id fiat, non est huius disputationis. Animum autem irasci contendere, simile est, ut si quis eum texere uel ædificare dicat. Rectius enim certè est non animum misereri, aut discere, aut cogitare, sed hominẽ animo dicere. Quod ita dictum uelim, non quòd in illo ipse motus insit: sed quòd interdum ad eum usq; perueniat, interdũ ab eo proficiscatur, ueluti sensus ab his uel illis rebus quæ obijciũtur, recordatio autem ab illo ad motus aut status eos qui in sensuum sedibus inhærẽt, proficiscitur. Mens aũt ipsa quæ substantia quædã est, insita esse uidetur, ac non interire. Maximè enim ab eo marcore, qui in senectute uiget, interiret. Nunc aũt id cõtingit, quod in sensuum sedibus. Si enim senex talem aspectum reciperet, ita acriter ut iuuenis aspiceret. Quocirca senectus euenit, non quòd animus alio modo atque prius, affectus sit: sed quia corpus, in quo

habitat, quemadmodum in ebrietatibus fit, & morbis. Atque etiam intelligendi atque contemplandi uis marcescit illa quidem et extinguitur, dum aliquid intrinsecus interit, ipsa autem nihil patitur, aut accipit. Nam ratiocinatio, amor, aut odium non sunt illius affectiones, sed eius quod illud habet, quatenus illud cõtinet. Itaq; mẽs cũ corpus interijt, nec recordatur, nec amat. Non enim hæc illius erant, sed totius concretionis quæ interijt. Mens uerò diuinius quiddã est, patiq; non potest. Perspicuum igitur est, animum moueri nõ posse: qui si non mouetur omnino, profectò nec se ipse quidẽ mouet. Omnium aũt quæ commemorata sunt, illud multò absurdissimum est, quod quidam tradunt, animum esse numerum seipsum mouentem. Absurda enim suscipere coguntur, primùm ea quæ ex motu consequũtur, deinde quod animũ numerum esse ponunt. Quo enim pacto intelligi cogitariq; potest unio quæ moueatur, & à quo, & quemadmodum, cum & partibus careat, & diuersa non sit? Si enim eam habeat ut moueat, & moueri possit, diuersa sit necesse est. Præterea cum ipsi tradant, lineam quæ motu fit, planam figuram efficere, punctum uerò lineam, unionum etiam motus erunt lineæ: punctum enim unio est, quæ situm habet: animi autem numerus & alicubi iam est, & situs est. Præterea si quis ex numero numerum aut unionem detrahat, alius numerus relinquitur. Ea autem quæ ex terra gignuntur, ut pleraque animalia cum diuisa sunt, uiuunt, eiusdemq; speciei animum habere uidentur: uidebitur etiã nihil interesse, unionésne dicamus, an parua corpuscula. Etenim si ex Democriti

sphærulis

sphærulis puncta gignantur, atque solum maneat id quod quantum est, erit aliquid in eo quod moueat, quodq; moueatur, quemadmodum in magnitudine. Neque enim quia hoc magnitudine differat, aut paruitate, id quod dictum est accidit, sed quia quantum est. Itaque necesse est aliquid esse, quod uniones mouent. Quòd si animus est in animali id quod mouet, in numero etiam erit: ex quo efficitur, non animum esse id quod moueat & moueatur, sed id modo quod moueat. Hæc autẽ unio quodammodo potest esse? Differat enim ab alijs necesse est. Puncti autem quod solum sit, quæ tandem præter sitũ potest esse distinctio? Si igitur diuersæ sunt uniones, et pũcta quæ in corpore insunt, in eodẽ uniones erunt. Locum enim puncti obtinebit. Atqui quid prohibet esse in eodem, si duo & innumerabilia? Præsertim cum quorum locus non est disiunctus, nec ipsa disiuncta sint. Sin pũcta ea sint quæ sunt in corpore, numerus erit is qui animi est. Aut si animus numerus est, ex punctis quæ sunt in corpore constans, cur non omnia corpora animo prædita sunt? puncta enim, eaq; innumerabilia, uidentur esse in omnibus.

Iam uerò quo tandem modo separari possunt puncta, siquidem lineæ in puncta minimè diuidantur? Sic autem fit, ut quemadmodum diximus, partim idem dicant quòd ij q̃ animũ ipsum corpus ex minutis partibus constare ponunt, partim quemadmodũ Democritus tradit, moueri ab animo, propriè hoc ad eos absurdum pertineat. Si enim est animus in omnibus quæ sentiãt, necesse est in eodẽ duo eße corpora: si animus Cap. 5.

quoddam corpus. Si uerò qui numerum dicunt, multa puncta in uno puncto esse, aut in omni corpore esse animum, nisi numerus aliquis diuersus insit, atq; distinctus aliquis ab ijs punctis quæ sint in corpore, hoc fateri coguntur, & corpus quod sit animal à numero moueri: et quẽadmodũ de Democrito diximus, ipsum mouere. Quid enim interest sphæras paruas dicas, an magnas uniones, aut omnino uniones moueri? Vtroq; enim modo necesse est mouere animal, hoc ipso quod ipsæ moueantur. Eos igitur qui motum atq; numerum ut idem coniungunt, & hæc, & pleraque alia eiusdem generis absurda consequuntur. Non enim solum hæc animi definitio esse non potest, sed etiam accidẽs. Quod perspicuum erit, si quis ex hac definitione conetur affectiones & opera animi explicare: ut cogitationes, sensa, uoluptates, dolores, cæteraq; generis eiusdẽ. Nam quemadmodum antè diximus, non est facile ex eis diuinare. Cum autẽ tria genera tradita sint quibus animum definiant. alijq; eum definierint id esse quod maxima ui mouendi sit præditum, quod se ipse moueat, nonnulli uerò corpus ex minimis partib. constans, aut id quo nihil magis sit expers corporis, hæc quidem omnia quas quæstiones repugnantias q; contineant, ferè exposuimus. Reliquum est autem, ut consideremus, quemadmodum illud dicatur, eum ex elementis constare. Sunt enim in ea sententia ob eã causam, ut ipse animus & omnium naturarum sensum habeat, & quamque rem scientia comprehendat. Quæ ex sententia multa etiam absurda sequi necesse est. Ponunt enim, rem similem simili cognosci, non aliter ac

si animum

si animum res ipsas & elementa esse ponerent: cũ non hæc sola sint, multæq; aliæ res stare uideantur, aut potius numero infinita sint ea, quæ ex ijs constent. Sint sanè quæq; res, ex quibus hæ constant, animo cognitæ, atq; sensu perceptæ: illius autem quod ex his cõcretum est, notitiam atq; sensum quo tandem habebit? ut quid sit Deus, uel homo, uel caro, uel os. Quod de unoquodq; aliorum quæ concreta sunt, sentiẽdum est eodem modo. Non enim unaquæq; res quouis modo ex elemẽtis cõstat. sed quadã ratione atq; compositione: quemadmodum etiam Empedocles de osse ait,

Sorte duas terra ex octo iustissima partes
Aeris & lymphæ uastis complexibus hausit,
Vulcanus geminas quas ossibus albor inhæsit.

Nihil igitur eos adiuuat, quod tradũt elementa in animo esse, nisi etiam rationes insint, atq; compositio. Noscet enim unũquodq; quod similitudinem habebit: os uerò uel hominem nõ noscet, nisi hæc ipsa inerunt. Quod quidem in ijs esse quæ fieri non possunt, nihil attinet docere. Cui enim in dubium ueniat, sit ne in animo lapis, aut homo, itemq; bonũ & non bonum? Quod etiã in cæteris contingit. Præterea cũ id quod est, multis modis dicatur (significat enim res singulas quæ sunt in substantijs, & quantitatem, & qualitatẽ, aut etiam aliquam aliam earum categoriarũ quæ expositæ sunt) utrum ex omnibus animus constabit, nec ne? At communia elementa non uidentur esse omnium. An ex ijs tantummodo, quæ ad substantiam pertinent? Qui igitur nouit unumquodque cæterorum? aut ipsi dicent uniuscuiusque generis elementa esse,

principiaq;

principiáq; propria ex quibus animus constet? Erunt igitur & quanta, & qualia, & essentia: at fieri nõ potest, ut ex quantitatis elementis substãtia sit, non quãtitas. Atq; ij quidem, qui ex omnibus animum constare tradunt, & hæc et alia eiusdẽ generis absurda suscipere coguntur. Absurdum autem est etiam id quod asseuerant, rem similem à simili nihil pati posse: & similẽ rem similis sensum habere, similemq; à simili cognosci: cum sensu percipere cognoscere atq; intelligere, pati aliquid moueriq; ponant. Multas quidem dubitationes atq; absurda continere id quod aiunt, quẽ admodũ Empedocles, omnia corporeis elementis cognosci, atq; re simili, id declarat quod modò dictũ est. Omnia enim quæ insunt in animantium corporibus, omnino atq; absolutè naturã terræ imitãtur: ut ossa, nerui, pili, cum nullius rei sensum habeant, ne similiũ quidem sui habent, quod tamen necesse esset. Præterea uniuscuiusq; principij ignoratio potius quàm cognitio habetur: præsertim cum, ut ponamus unamquanq; rem scientia aliquid comprehendere, tamen plura ignoratura sit. Sunt enim aliorum generum omnia. Et Empedocles deum indoctißimum atq; ignarißimũ cogitur concedere. Solus enim elementũ unum contentionis non habebit cognitum, cum sit notum mortalibus omnibus. Vnumquodq; enim ex omnibus constat. Sed cur nõ omnia quæ sunt, planè animũ habent, cum nihil sit in rerum natura quod non aut elemẽtum sit, aut ex elemento uno, pluribus ue, aut omnibus? Nam aut alicuius rei, aut aliquarum, aut omnium notitia & scientia animo comprehendatur necesse est. Illud etiam

etiam quæri potest, quid sit tandem, quod hæc ipsa unum efficiat, cum elemẽta materiæ locum obtinere uideantur? Quod enim aliquid continet, in eo principatum esse constat oportere. Animo autem aliquid melius esse, eiq; præesse non potest: menti uerò, minus potest. Ratio enim hanc uult antiquiorem esse, imperareq; natura, cum isti elementa omniũ quæ sunt in rerũ natura, prima et antiquissima esse ponant. Sed omnes & ij qui animum ex elemẽtis esse tradunt, propterea quòd ipse res omnes scientia cõprehendat, sensuq; percipiat: & ij qui eum dicunt esse id quod maxima mouendi ui sit præditum, non de omni animo loquũtur. Neq; enim omnia quæ sensum habent, mouentur: quippe cum quædã animalia esse constet, quæ in loco permaneant. Atqui animus hoc uno mouendi genere animalia mouere uidetur. Quod etiã de ijs iudicandum est, qui mentem et partem eam in qua sensus est sedes, ex elementis fabricantur. Constat enim, & ea quæ ex terra edũtur uiuere, cum nec loco mouere se possint, nec sensum habeant: et multa esse animalia, quæ ratione non sint prædita. Quòd si quis hæc ipsa seiungere uelit, ponatq; mentẽ quandã esse animi partẽ, itemq; illud in quo est principium sentiendi, is ne tum quidẽ omnino de toto animi genere, nec de omni aut uno animo disputabit. Quod etiã Orpheo in uersibus usuenit. Ait enim animũ ex uniuersitate introijsse, cum impulsu uentorum respirantium moueretur. Hoc autem ijs rebus quæ ex terra oriuntur, conuenire nõ potest: nec quibusdam animantibus, siquidem non omnia respirant. Ii uerò qui in ea sententia fuerunt, hoc

ignora-

ignorarunt, si animum oporteat ex elementis constare, non oportere ex omnibus. Altera enim repugnantiæ pars sola per se potest & se ipsa, & contrarium internoscere. Etenim ex eo quod rectũ est & ipsum, et id quod inflexũ, cognoscimus. Iudex enim utriusq; est ipsa regula. Quod autem inflexum est, nec sui, nec recti est interpres. Nonnulli etiã in uniuerso eum confusum esse tradunt. Hinc fortasse Thales omnia deorũ plena esse existimauit. Quod quibusdã quæstionibus inuolutum est. Cur enim animus, si in aere sit & in igne, non faciat animalia? Cur etiam non in ijs naturis quæ iunctæ sunt? cum præsertim in his præstantior esse uideatur. Nam hoc etiam quæri potest, quamobrem animus is qui est in aere, eo sit melior & magis æternus, qui est in animãtibus. Vtrinq; autẽ & error incidit, et quiddam absurdũ. Nam & asserere animal esse ignem, aut aera, magnus est error: & negare animalia esse, cum insit animus, absurdum. Animum autem in his inesse existimaße uidẽtur, propterea quòd totum & eius partes eiusdem sint speciei. Sic fiet, ut animum & partes eiusdem speciei cogantur dicere, si animalia animata eo fiant, quod aliqua aeris continentis pars in animantibus recipiatur. Si uerò aer circumfusus & dißipatus sui similis sit, & animus dißimilis, certè aliquid eius & inerit, & non inerit. Eum igitur necesse est uel sui similem esse, aut non inesse in quauis parte uniuersitatis. Quare ex ijs quæ dicta sunt perspicuũ est, animũ non eo ipso notitias rerũ cõprehendere, quod ex elemẽtis constet: nec uerũ esse, eum moueri. Quoniam autem cognitio animi propria est,

& sensa

& sensa & opinio, ac præterea appetitus, & delibe rationes, omninoq; cupiditates eum attingunt, ab animoq; hoc habeant animantia, ut loco moueantur, ac præterea ut augescant, & ad suum quodque magnitudinis molisq; statũ perueniant, ac seneſcant: quæ rat aliquis, utrum toti animo unumquodque horum conueniat, totóque animo intelligamus et sentiamus, cæteráque omnia & faciamus & patiamur ipsi, an partes alias alia attingant. Et uita ipsa utrum in aliquo horum insit, an in pluribus, an etiam in omnibus. Nonnulli quidem eum in partes diuidunt, eumq; alia intelligere, alia appetere dicunt. Quid tandem est quod animum contineat, si ex partibus constat? Non enim quidem certè corpus. Videtur enim contrà potius corpus ab animo contineri. Itaque cum ex corpore exijt, corpus extinguitur, carieque consumitur. Si igitur aliquid aliud unum ipsum efficit, id profectò animus erit maximè. Quærendum etiam erit, sit ne illud unum ac simplex, an multis partibus constet? Si enim unum est ac simplex, cur non etiam animus statim erit? Sin partibus cõstet, rursus quærendũ erit, quid nam illud contineat? eademq; ratione sine ullo modo ac fine quæretur. Illud etiã quæri poterit de eius partibus, quam tandem uim unaquæq; habeat in corpore. Si enim totus animus totum corpus continet, decet etiam ab unaquaque parte aliquid corporis contineri. Quod uidetur in ijs esse, quæ fieri non possunt. Quam enim partem, quóue modo mẽs contineat, difficile est etiã fingere. Quimetiã cõstat, ea quæ ex terra gignuntur, cũ diuisa sunt, uiuere: quædamq;

animalia

animalia quæ incisuras habẽt, quod in eis animus eiusdem speciei insit: etsi non idem numero. Itaq; utraq; pars sensum habet, locoq; ad quoddam tempus mouetur. Nec absurdum est, si in eo non perseuerent: propterea quòd instrumenta non habent, ut naturam suã conseruent atq; tueantur. Sed tamen in utraq; parte omnes animi partes insunt, quæ & inter se eiusdem speciei sunt, & eiusdem cuius totus: inter se quidem, quòd nõ sint separabiles: eiusdem cuius totus animus, quod diuisus sit. Atq; etiam principium id quod in ijs quæ terra ex se fundit, reperitur, animus quidã uidẽtur esse, quandoquidem hoc unum habent & animantia, & ea quæ ex terra oriuntur: atque hoc quidem à sentiendi fonte ac principio distinguitur, sed sine eo nihil sensum habet.

ARISTOTELIS DE Animo, Liber secundus, Ioachimo Perionio Benedictino Cormœriaceno interprete.

ATq; ea quidem quæ à priscis de animo tradita sunt, hactenus. Nũc, quemadmodũ ab initio, reuertamur, ut exponamus quid animus sit, quáq; eius sit latissimè patens definitio. Est quidem unum certũ rerũ quæ sunt, genus, essentia, cuius pars quædam ut materia est, id quod per se stare non potest: altera, forma & species, ex qua iam res singulæ dicuntur: tertia, id quod ex his constat. Est autem materia, potestas: species perfectio. idq; duobus modis: quorum unus, scientiæ & habitus locum tenet: alter, cognitionis

cognitionis & contemplationis. Essentiæ autem et naturæ uidentur esse corpora maximè, eaq; naturalia. Hæc enim cæterorum sunt principia. Eorum autem quæ naturalia sunt, partim uitam habent, partim non habent. Vitã autem dicimus & alimentum, quod per se capitur, & acceßionem & deceßionem. Ita omne corpus à natura ortum & originem ducens, quod uitæ est particeps, essentia est, sed cõcreta atque iuncta. Quoniam autem corpus eiusmodi est, uitæ enim est particeps, certè corpus animus non est: præsertim cũ non sit corpus in ijs quæ de re subiecta & proposita dicantur, sed potius subest ut materia. Animus igitur natura & essentia sit necesse est, quasi species ac forma corporis naturalis, quod in se uitæ uim contineat. Quoniam autem essentia perfectio est, fit ut huius uel illius corporis sit perfectio. Quæ cum duobus modis dicatur, & ut scientia, & ut consideratio: certè animus est ut habitus et scientia. Cũ enim animus in corpore inest, somnus & uigiliæ uigent: quorum uigilia considerationi, somnus habitui, cuius nullus est usus, & qui ad opus non redigitur, similitudine respondet. Et quorum scientiæ, in eodem origo est antiquior. Ita animus est prima corporis naturalis, quod uitæ est particeps, perfectio. Corpus aũt eiusmodi partes habeat ad exequẽda munera necesse est, partes earũ aũt etiam quæ gignũtur è terra, instrumẽta sunt quædã, sed simplicia omnino: ut folium corticis fructus est operculum, cortex ipse fructus fructum obducit, fibræ autem & radices oris locum obtinent. Vtrunque enim alimentum ad se trahit. Quòd si quid in omni

animo quod sit commune dicendũ est, erit prima corporis naturalis, quod instrumenti uim habeat, perfectio & absolutio. Itaque non est illud exquirendum, sint'ne unum animus & corpus: quemadmodum ne illud quidem, sint'ne unum, cera & figura ex ea facta: nec uno nomine, an uniuscuiusque materia, & id cuius materia est. Vnum'enim, & id quod est, quoniam multis modis dicuntur, quod propriè dicitur, perfectio est. Atque de toto quidem animi genere, quid sit, dictum est. Est enim essentia, quam definitio explicat. Hoc autem quod illa significat, natura est & essentia huiusmodi corporis, ut si quod instrumentũ corpus esset naturale, ueluti securis. Hoc enim securis natura & animus esset, quippe cũ hac seiuncta & separata, non iam securis esset, nisi societate nominis, cũ nũc reuera securis sit. Non enim talis corporis natura & species animus est, sed naturalis huiusmodi, quod in se motus atque status principium habeat. Atque etiam in partibus & membris quod dixi, perspici licet. Si enim oculus esset animal, eius profectò animus aspectus esset, quandoquidem hæc eius essentia & natura est ex definitione. Oculus autem materia est aspectus: quo detracto non est oculus, nisi fortè eiusdem nominis, ueluti lapideus, & pictus. Sumendũ est aũt id quod ad partẽ accõmodatur, in toto corpore, quod uitæ sit particeps. Quã enim rationẽ pars ad partẽ habet, eandẽ habet totus sensus ad totũ corpus sensus particeps, quatenus eiusmodi est. Nõ est aũt corporis ex quo animus excesserit, ea uis ut uiuat, sed eius quod eo sit præditum, quæ uis talis in semine

ac fructu inest. Vt igitur sectio serræ & aspectus, sic tigilia usus, & actio est. Et animus quidem quasi aspectus & instrumenti uis habetur: corpus autẽ id quod functiones & munera exequi potest. Sed quemadmodum hic pupilla & aspectus est oculus: ita illic animus & corpus animal. Ac illud quidem non est dubium, quin animus non sit à corpore separabilis, aut aliquæ eius partes, si ex partibus constet. Quarundam enim ipsius partium perfectio est. Nihil autẽ prohibet esse aliquas separabiles, propterea quòd non sit causa cur ullum corpus sit in rerum natura. Sed illud perspicuũ non est, sit ne animus ita corporis perfectio, ut nauta nauigij. Ac pingui quidem Minerua hoc modo quid sit animus, explicatum descriptumq; sit.

Quoniam autẽ rebus dubijs illis quidem, sed illustriorib. quæq; res aperitur, definitioneq; illustratur, rursus de eo disserere conãdum est hoc modo. Neque enim solum rem esse declarare debet definitio, quemadmodum plurimæ definitiones explicant: sed causam etiam exponat necesse est. Nunc quidem, quasi conclusiones definitiones sunt: ueluti quid sit quadratum, si quæratur, ac respondeatur, figurã esse rectis angulis, paribusq; lateribus ei quæ altera ex parte lõgior est, par et æqualis, ea quidẽ conclusionis tantũ definitio est. Ea autem quæ explicat, quadratũ esse mediæ inuẽtionẽ, rei causam exponit. Nos igitur ita de re disserẽdi initium capiamus, ut dicamus, inanimũ ab animato uita distingui. Cumq; multis modis uita dicatur, id uiuere dicamus, in quo aliquis eorum modo reperiatur: ut mens, sensus, motus, statusq; in loco: præterea, Cap. 2.

motus qui in alendo est, decessio & accessio. Itaque ea omnia quæ gignũtur è terra, uiuunt: quandoquidẽ cõstat in eis uim esse ac principiũ eiusmodi, quo accessionẽ decessionemq; capiunt in locis contrarijs. Neq; enim sursum tantum uersus augescũt, non etiam deorsum: sed peræquè utraq; ex parte & undiq; ea omnia quæ aluntur ac uiuunt usq; ad finẽ, dum alimentũ capere possint. Atque hoc quidẽ ab alijs seiungi separariq; potest, cætera ab hoc duntaxat in mortalibus non potest. Quod facile animaduerti licet in ijs quæ oriuntur è terra, in quibus alia uis animi nulla reperitur. Ac uita quidem propter hoc principium in ijs omnibus quæ uiuunt inest: animal aũt ex sensu primũ dicitur, præsertim cum ea quæ nõ mouentur loco, dũmodo sensum habeant, animalia uocemus, nec ea solũ uiuere dicamus. Sensuum autem tactus primus in omnibus uiget: & quemadmodum uis alendi à tactu cæteris q; sensibus separari potest, sic tactus à cæteris sensibus. Alendi autem uim eam partem animi uocamus, qua etiã participant ea quæ giguntur è terra. Omnes uerò animantes sensus tangendi participes sunt. quorum utrunque cur euenerit, post disseremus. Nunc hoc tantum dicatur, animum principium esse horum omnium, hisq; definiri, ui alendi, sentiendi, raciocinãdi, atque motu. Quòd si quæratur, utrum unumquodque horum sit animus, an pars animi: et si pars, an ita pars, ut cogitatione ac ratione solũ, aut etiam loco secerni possit, de nonnullis quidẽ nõ est difficile respondere. de alijs quæstio est. Vt enim animaduerti licet, eorum quæ terra ex se gignit, nonnulla cum auulsa sunt, aliaq;

aliaq; ab alijs separata uiuere, quòd in eis sit animus re ipsa suus in quoq; eius generis cum plures esse possint: sic pro alijs animi distinctionibus usuuenire cernimus in ijs bestiolis, quæ incisuris quibusdã constãt, cum in partes diuiduntur. Etenim sensu unaquæque pars utitur, & loco mouetur. Si uerò sensum habet, ui sionem etiam & cupiditatẽ: quandoquidẽ ubi sensus est, eum dolor & uoluptas consequuntur. Quæ ubicunq; sunt, necessariò etiam appetitus. Sed de mente uiq; contemplandi, nondum hoc constat, animiq; genus aliud uidetur esse: idq; unum separari potest, quẽ admodum id quod sempiternum est, ab eo quod interit. Ex quibus intelligitur, cæteras animi partes non esse seperabiles, quemadmodum nonnulli sentiunt. Ratione autem et natura sua non est dubium, quin sint diuersæ: quandoquidem aliam habet naturam & essentiam uis sentiendi, aliam opinandi: quemadmodũ aliud est sensu percipere, aliud opinari, quod item in alijs quæ dicta sunt contingit. Atq; etiam in nonnullis animantibus hæc insunt omnia, in quibusdam nonnulla, in alijs unum modò reperitur, id quod animaliũ genera distinxit, cuius causa quæ sit, pòst considerandũ erit. Quod itẽ contingit in sensibus. In alijs enim omnes insunt, in quibusdã aliqui, in nõnullis unus tactus, qui est maximè necessarius. Duobus quidem modis id quo uiuimus & sentimus dicitur, quemadmodum duplex est id quo scire dicimur: quorũ unum scientiã uocamus, animum alterum: utroq; enim horum scire dicimur. Eademq; est ratio eius quo ualemus, quorum unum ualetudo dicitur: alterum pars est quædã cor-

poris, uel etiam totum. Horum porrò scientia & ualetudo, forma & species quædam est ac ratio, & uis eorum quæ recipiunt, illa eius partis in qua scientia imprimitur, hæc illius in qua sedes est ualetudinis. In eo enim quod accipit, ac bene affectum est, uis eorũ quæ aliquid afficere possunt, inesse uidetur. Quòd si animus id est quo primùm & uiuimus et sentimus, & ratiocinamur: profectò forma quædam & species sit necesse est, non ut materia, idq; quod subest. Cum enim tria naturarum genera sint, quemadmodum diximus, quorum unum forma est ac species, alterum materia, tertium quod ex his duobus iunctum est, eorum materia uis est ac potestas, species usus & perfectio. Quoniamq; id quod ex utroq; constat, animatũ est, nõ est corpus animi perfectio, sed animus certi cuiusdã corporis. Ob eamq; causam rectè sentiunt ij quibus animus nec sine corpore esse, nec aliquod corpus uidetur. Neque enim ipse corpus est sed aliquid corporis: obeamq; causam in corpore inest, atque ita affecto corpore, ac non quemadmodum superiores, qui eum ad corpus accõmodabant, cum nec quod nã id esset, nec quale explicassent: quanquam nihil id quod primũ occurrat, recipere uidetur. Sic autem ratione etiam duce efficitur. Vniuscuiusq; enim perfectio, in eo quod uim habet, & in accommodata naturæ materia solet existere. Illud ergo ex his perspicuũ est, animum perfectionẽ quandam esse, atque rationem eius quod uim habet talis naturæ atque essentiæ.

Cap. 3. Facultates aũt animi quæ expositæ sunt, in nonnullis uniuersæ, ut diximus, insunt: in alijs aliquæ, in quibusdam

busdam una tantummodo. Facultates uerò diximus, uim alendi, sentiendi, appetendi, mouendi loco, ac ratiocinandi: quarum alendi uis in ijs sola reperitur, quæ terra gignit: in alijs & hæc, & sentiendi. Si uerò sentiendi uis, & appetēdi. Appetitus enim cupiditas est, ira, & uoluntas. In omnibus autem animantibus, ex sensibus tactus unus inest. Cui uerò sensus inest, ei etiam uoluptas & dolor, idq; quod uoluptatē affert, et quod dolorem: quæ omnia quibus conueniunt, in ea etiam cupiditas cadit. Hæc enim quædā est eius quod uoluptatem parit, appetitio. Præterea cibi ac pastus sensum habēt, quoniam tactus cibi sensus est. Rebus enim aridis, humidis, calidis ac frigidis animalia omnia uescuntur, quarum sensus est tactus: cæterarū nō est, nisi impropriè. Nihil enim pastum sonus adiuuat, nec color, aut odor. Nam sapor aliqd est eorū quæ sub tactū cadunt. Sunt autē fames et sitis appetitus, quorū fames quidem appetitus est rerum calorem & siccitatem, sitis uerò humorem et frigus efficientium: quorum omnium sapor est quædam uoluptas, & quasi cōdimentū. Sed de his postea planius differendum erit. Nunc hoc tantum dicatur, quæ animalia tactum habeant, in ijs etiam appetitum reperiri. Quod diuisione incertū est, idq; pòst considerabimus. In quibusdā præterea inest uis ea, qua mouemur loco. In alijs etiam pars animi quæ est rationis ac consilij, atque mens ipsa, ut in hominibus inest: & si quid aliud est eiusdem generis, aut etiam diuinius ac dignius. Atque hoc quidem perspicuum est, eadem ratione animi atque figuræ unam esse definitionem: propterea quòd

nec illic figura aliam præter triangulum, & cæteras quæ sequuntur, complectitur: nec hic ullum animus, præter eos qui commemorati sunt. Et quemadmodũ in figuris communis quædam est definitio, quæ omnibus quidem accõmodabitur, sed nullius erit propria: sic in animis contingit, de quibus diximus. Itaque ridiculum est profectò, et in his et in alijs communem definitionẽ quærere, quæ nullius sit naturæ propria, ne si ex propria quidem & infima forma ducatur, hac tali prætermissa definitione. Eadem autem ratio est et eorũ quæ in figuris, & eorum quæ in animo uersantur. Semper enim in eo quod deinceps sequitur, superioris uis intelligitur, & in figuris, & in rebus quæ animo sunt præditæ. Veluti in quadrato triangulum, & in parte animi quæ est sensus, ea quæ alimenti, intelligitur. Quocirca in quaque quærendum est, quis cuiusq; animus sit: ueluti quis stirpiũ, et quis hominis aut bestiæ. Cur aũt eam inter se rationẽ habeant ea, quæ ordine quodam alia ex alijs sequuntur, uidendũ est. Sine enim ea parte animi, quæ ad alendum pertinet, ea quæ est sensus, esse nullo modo potest, cum ea quæ alendo munus suũ exequitur, in ijs quæ ex terra oriuntur, ab ea quæ sensus est particeps separetur. Rursus sine tangendi sensu nullus alius extare potest, cum tactus sine alijs adsit. Pleraque enim animalia nec aspectum habent, nec auditum, nec planè sensum ullũ odoris. Eorũ etiã quæ sensũ habent, in alijs uis mouendi loco inest, in alijs nõ inest. postrema uerò atq; minima pars, consilij atq; rationis est particeps. Ex mortalibus enim quibus tributũ est consilium, ijs etiã cæ-

tera

tera tributa sunt omnia. Quibus uerò quodq; illorum datum est, non in ijs omnibus consilium reperitur, sed alijs ne uis ea quidem in qua uisa imprimuntur, data est, alia hanc unam uiuendi ducem habent. De mente autem ea cuius omne opus in contemplando est disserere, non est huius disputationis. Perspicuũ est igitur, definitionem quæ cuiq; horum statuetur, animi quoq; aptissimam futuram.

Si quis autem de his rectè disputaturus est, cum ne cesse est, quid quodq; horum sit, sumere: quod ei in ijs quæ cohærent, faciendum erit eodem modo. Quòd si uis & natura cuiusq; eorum exponenda est, ut quid sit ea pars quæ est mentis atq; rationis, aut ea quæ sensus est particeps, aut ea deniq; quæ ad alendum pertinet: primum dicendũ erit, quid sit mente aliquid comprehẽdere, quid sensu percipere. priores enim sunt ratione facultatibus, functiones atq; actiones. Quòd si ita est, his q; antecedere debet rerum obiectarum cognitio, ob eandem causam prius illis explicanda erũt: quo in genere sunt cibus, & res quæ sensum ac mentem mouerit. Ita primò de alimento & pastu dicendum erit, quandoquidem animus alẽdi ui præditus, et cæteris conuenit, & prima est, & latissimè patens uis animi, quæ facit ut uiuant cætera: cuius munera & officia sunt, procreare, et cibum capere. Omnium enim officiorum ac munerum in ijs quæ uiuunt, dummodo suis partibus absoluta sint, non imminuta, aut originẽ fortuitã non habeãt, nullũ naturæ aptius aut accõmodatius est, quàm sui simile facere: ut animal animal, stirps stirpem, ut æternitatem diuinitatẽq; quàm pro Cap. 4.

xime possint, imitentur. Omnia enim illius cupiditate ducuntur, eoq; omnes suas actiones referũt ea omnia, quæ natura duce quippiã faciunt. Id autem cuius causa aliquid fit, est duplex: unum, quod omnium extremum est: alterum, quod ad omnium extremum pertinet. Quoniam igitur perpetuitate æternitatem, ac diuinitatem consequi & attingere non possunt, propterea quòd nihil eorũ quæ interitura sunt, idem unumq; numero permanere potest, qua ex parte cò peruenire licet, eatenus quodq; eius fit particeps, alia magis, alia minus: & permanet non idem, sed quasi idem, non unum numero, sed unius speciei ac generis eiusdem. Est autem animus eius corporis quod uiuit, causa et principium. Quæ quanquam multis modis dicuntur, tamẽ animus causa est tribus ijs modis, qui inter se distincti sunt. Nam & id animus est unde motus ducitur, & id cuius causa aliquid fit, & ut natura & essentia animatorum corporum causa est. Non est id quidem dubium, quin ut essentia. Causa enim cur sint omnia, essentia est. Iis autem quæ uiuunt, uita ipsa natura est et essentia: quorum omnium causa est & principium animus. Atque etiam eius quod in rerum natura esse potest, ratio perfectio est. Constat etiam, animum esse in eo causæ genere, cuius gratia aliquid fiat. Vt enim mens, sic natura, aliò refert quod facit: idq; illi est finis propositus. Eundem locum in animantibus animo natura tribuit. Omnia enim naturalia corpora, animi instrumenta sunt: ut animantium, sic eorum quæ gignuntur è terra, quod animi causa sint constituta. Duobus autem modis id cuius causa quippiam fit, dicitur:

citur: quorum unus extremi est, alter ad extremum refertur. Atq; etiã animus est id, unde primùm mutatio loci proficiscitur: quæ quidem uis non in omnibus naturis quæ uiuunt, reperitur. Animi etiã est commutatio & accessio: quippe cum & sensus quædam sit cõmutatio, & nihil sensum habeat quod non sit animo præditum. Eadẽ est & accessionis & abscessionis ratio. Nihil enim imminuitur aut crescit naturæ lege atq; ratione, quod nõ alatur: & nihil alitur, quod non sit uitæ particeps. Empedocles autẽ hoc non rectè censuit, accessionem ijs quæ terra gignat, et quæ altè deorsum radices agant, contingere: propterea quod terra eodem modo natura suo pondere feratur, sursum autẽ uersus, quod ignis superiora petat. Neque enim hæc duo sursum & deorsum rectè accipit. Non enim omnibus naturis atq; uniuersitati idem est locus superior & inferior: sed quod animalibus caput est, id sunt radices in ijs quæ gignũtur è terra, si instrumenta diuersa dicenda sunt, atq; ea ex officijs ac muneribus. Præterea quid ignem ac terram, quæ in contrarium locum ferantur, continet? Dissipabuntur enim, ac diuellẽtur, nisi quid sit quod prohibeat. Quod si est, id animus est, quod causa est cur & augescant, & alantur. Quanquam nonnullis ignis natura omnino causa uidetur esse alimenti atq; accessionis. Hoc enim unum ex corporib. aut elementis ali & augescere uidetur. Itaq; et in ijs quæ oriũtur è terra, & in animantibus, ignis ipse causa efficiẽs horum intelligi poterit. Atta men hæc ille quodãmodo adiuuat, non tamẽ planè causa est, sed animus potius. Nam cum ignis augescere

in infinitum

in infinitum possit, quandiu aliquid subest quod comburatur: eorumq; quæ natura constant, magnitudini & cumulo terminus quidam sit, ac ratio constituta: hæc profectò animi sunt, non ignis, & rationis magis quàm materiæ propria. Quoniam autem eadem uis est animi ea qua alit, & qua procreat: primùm de cibo differendum est, quandoquidem hoc ipso officio à cæteris facultatibus distinguitur. Sed uidetur contrarium aliâ contrario, non omnia tamẽ ab omnibus: uerùm ea contraria, quæ non solum alia ab alijs oriuntur, sed etiam augescunt. Multa enim mutuam habent originẽ, sed magna omnia: ut id quod ualet, ex ægro oritur. Verùm ne hæc quidem eo modo alia ab alijs aluntur, sed igni aqua pastum præbet, aquam autem ignis alere non uidetur. Ac in ijs quidem corporibus quæ simplicia sunt, hæc ipsa eiusmodi uidentur esse, ut unum sit quod alat, alterum quod alatur: sed tamẽ de eo quæstio est. Nam cum alij confirment, simile à simili ali, quemadmodum etiam augeri: tamen nonnullis, quemadmodũ diximus, contrà & contrarium à contrario uidetur: quod res similis pati non possit, & cibus mutari atq; concoqui, quæ in contrarium, aut in id quod interiectum sit, fiat mutatio. Præterea cibus ab eo quod alitur, quadam ex parte mutatur: quod in eo quod alitur, cibus non efficit: quemadmodũ textor à materia quæ ei proposita est, non mutatur ullo modo, sed hæc à textore, qui materiam quæ non erat operis ipsius, ad opus suum tantummodo trãsfert & accommodat. Vtrum autem cibus id sit quod ad extremum cuenit, an id quod primùm, quæstio est. Quòd si utrunq;

utrunq;, sed ita, ut unum crudum sit, alterũ concoctũ: utroq; modo cibus dici potest. Nam quatenus crudus est, ea ex parte contrarium à contrario alitur: quatenus autem coctus est, simile à simili. Ex quo perspici licet, utrosq; quodam modo & rectè, & non rectè dicere. Quoniam autẽ nihil uitæ expers alitur, corpus certè animatum sit necesse est, quo alatur quatenus alitur. Itaq; cibus ad id quod animatum est accommodatur, ac non impropriè ac fortuitò: sed aliud est cibum esse, aliud uim ad augendum habere. Qua enim ex parte id quod animatum est, quantitatem habet, uim habet ad accessionẽ afferendã id quod alit: qua autem ex parte aliquid est rerum singularum, & essentia, cibus dicitur. Conseruat enim naturã, in eaq; usq; ad eum finem est, dum alatur. Valet etiam ad procreãdum nõ id quod alitur, sed id quod simile est rei quæ alitur. Nam cum iam sit in rerum natura id quod alitur, nec quicquam se gignat, sed conseruet: fit ut animi principium sit eiusmodi, quod id conseruet in quo ipsum inest, quatenus eam uim habet. Cibus autem id à quo capitur, ad munus suum exequendum comparat. Itaq; cum ei cibus detrahitur, intereat necesse est. Cum autem tria sint, id quod alitur, res qua alitur, & id quod alit: primus quidem animus id est quod alit: id quod alitur corpus in quo ipse est, id quo alitur cibus. Quoniamq; à fine omnia suis nominibus appellanda sunt, finis autem propositus est, aliquid sui simile procreare, primus certè animus uim habeat necesse est sui simile procreãdi. Est autem duplex id quo corpus alitur, quemadmodum manus est id quo nauta

gubernat,

gubernat, & gubernaculũ: quorum unum mouet, & mouetur, alterum motum affert tantũmodo. Cum uerò cibus omnis eiusmodi esse debeat, ut concoqui possit, & calor concoctionem efficiat, calor in naturis animatis omnibus insit necesse est. Ac pingui quidem Minerua, quid cibus sit, expositũ est. Planius autẽ suis locis de eo differendum erit. His uerò ita constitutis, nunc de omni sensu summatim disputemus.

Cap. 5. Sensus quidem, iam ut dixi, tum euenit, cum et mouetur aliqd, ac patitur, et quodãmodo accipit. Quædam enim uidetur esse immutatio. Nonnulli autẽ in ea opinione sunt, ut similem rem à sui simili pati dicant: quod quemadmodum fieri possit, aut non possit, alijs locis communibus dictũ est, in quibus de faciendo & patiendo disputauimus. Cur autem sensuũ ipsorũ non sit sensus, quæstio est: & quam ob causam sine ijs quæ extrinsecus occurrunt & obijciuntur, non faciant sensum, cum insint ignis & terra, aliaq; elementa: quorũ per se sensus est, aut per ea quæ in illa conueniunt. Illud quidem perspicuum est, id quod uim habet ad sensum efficiendum, non sensum re ipsa efficere, sed uim huius rei in se solum habere. Itaq; non sentitur, quemadmodum res quæ incendi potest, non incenditur ipsa per se, sine re quæ incendere urereq; possit. Se enim ipsa ureret, nec ignem re ipsa necesse esset adhiberi. Quoniam autem sentire duobus modis dicitur (nam & id quod uim audiendi uidendiq; habet, audire ac uidere dicimus, etiam si fortè dormiat: & id quod hæc ipsa officia ac munera exequitur) duobus etiam modis sensus dicatur necesse est. quorum

unus

unus uim habet, alter munere fungatur. Eademq; modo sensu percipere, uim habendo, & fungendo munere. Ac primùm quidem illud dicẽdum est idem esse, pati, sentire: & munus exequi. Nam & motus & actio quædam est, etsi inchoata, quemadmodum alijs libris diximus: & omnia patiuntur ac mouẽtur ab eo quod uim efficiendi habeat, sitq; in rerum natura. Itaq; uerè dici potest, & à re simili, quanq; rem pati: & à dissimili, quemadmodũ diximus. patitur enim cum est dissimilis, cum autem passa est, similis. Sed nis & usus distinguenda sunt. nunc enim planè pinguiq; Mineruæ de ijs disputamus. Est enim aliquid ita sciens, ut hominem scientem dicimus, ex eo quòd homo in ijs sit qui scientes sunt, præditiq; scientia. Est etiam scientia præditus, quemadmodum iam diximus scientem, cum in quo grammatica insit. Vterq; horum non eodem modo facultate præditus est, sed unus, quod genus tale est ac materia: alter, eò quod si uelit contemplari potest, nisi quid extrà impedimentum afferat. Alius uerò iam rem considerat, usumq; scientiæ & cognitionis, exempli causa, A, iam habet. Ac primi quidẽ illi duo uim habent scientiæ, ita tamen, ut unus disciplina commutatus & affectus, ex contrarioq; habitu sæpe mutatus sit: alter ex eo, quòd cum sensu uel grammatica sit præditus, nec agat, ad alium agendi modũ se contulit. Pati etiam ne uno quidem modo dicitur. sed unum genus est patiendi, cum aliquis interitus à contrario oritur: alterũ, cum salus potius & conseruatio eius quod uim habet, ut sit ab eo procuratur, quod etiam est in rerũ natura, & ita simile est, ut uis agendi

ad actionem

ad actionem similitudine accedit. Quod enim scientiæ præditum est, id ad cõtemplandi usum conuertitur, id quod aut immutari non est. Progressus enim & accessio ad id peruenit, & ad actionem, aut certè aliud est commutationis genus. Itaq; non rectè sentiunt ij, qui id quod sapit, cum sapit et sentit, commutari confirmant: quemadmodum nec architectum, cum ædificat. Quod igitur ad rem & exitum id cuius uis tantum inerat, intelligendo & sentiendo perducit, non doctrinæ, sed alio nomine appellari debet. Quod autẽ ab eo cuius uis est tantũ dicit, sciẽtiaq; percipit ab eo quod est in rerum natura, uimq; habet docendi, id uel nno debet dici patĩ, quemadmodum dictum est: uel duo sunt genera commutationis, quorum unum sit in priuantes affectiones, alterum in habitũ naturamq; mutatio. Eius autem quod sensus est particeps mutatio, ab eo quod procreat prima proficiscitur: quod cũ procreatum est, iam scientiæ instar sensum habet. Atque etiam sensum re ipsa adhibere eodem modo dicitur, quo cognoscere: sed interest, quòd ea quæ sensum mouent, ut quæ sub aspectum & auditum cæteros q; sensus cadunt, extrinsecus adhibentur: propterea q; rerũ singularum est sensus quæ suo munere fungitur: scientia autem rerum uniuersarum, quæ quodã modo in ipso animo sitæ sunt. Itaq; licet nobis cũ uolumus animo aliquid agitare, & cogitare, sensu autem cõprehendere nõ licet. Sit enim oportet aliquid quod sensum moueat. Quod etiam fit in artibus & scientijs ijs quæ in rebus sensum mouẽtibus uersantur: atq; ob eam causam, quod ea quæ sub sensum cadunt, res sunt

singulæ

singulæ externæ. Sed de his hactenus. Nunc hoc tantum explicatum sit, cum non simpliciter unoq; modo id quod uim tantum ut sit habet, dicatur, aliudq; sit eiusmodi, ut si puerum in bello præesse posse dicamus: aliud, ut si eum imperatorem posse esse dicamus, qui id ætatis sit quæ in imperatore desideretur, eãdem eius quod uim sentiendi habeat, esse rationem. Sed quoniam eorum distinctio nomine caret, expositumq; est inter ea interesse, & quemadmodum interfit, certè patiendi uerbo & immutandi pro proprijs nominibus utamur necesse est. Quod autem sensu comprehendere potest, est quasi id quod iam reipsa sub sensum cadit, quemadmodum diximus. patitur ergo id quod patitur, non quod simile sit: sed similitudo patiendo accesit, ut sit quasi idem.

Sed primùm de ijs quæ sensibus subijciuntur, pro cuiusque sensus modo & ordine dicendum est. Tria autem sunt genera eorum quæ sub sensum cadunt, quorum duo per se sensum mouere dicimus, per aliud tertium. Duorum autẽ illorum unum est uniuscuiusque sensus proprium, alterum commune omnium: proprium uerò uoco, id quod alium sensum non potest mouere, & in quo error uersari non potest, ut aspectui color subest, auditui sonus, & sapor gustatui. Tactus autẽ plures habet dissimilitudines, sed unusquisq; de his iudicat, nec in eo fallitur: quòd colorem iudicet aut sonum esse, uerùm in eo quod quid sit colore tinctum: aut ubi, aut quid sonet uel ubi. Atque hæc quidem omnia cuiusque propria dicuntur. Communia autem, ut motus, ut status, ut numerus, figura, magnitudo, Cap. 6.

Non enim hæc cuiusquam propria sunt, sed omnium cõmunia. Nam & tactui motus est quidã qui eum mouet, & aspectui. Atque hæc quidem sensum per se mouent. Per aliud autem & impropriè mouere dicitur, ut si Diaris filius albus sit: impropriè enim ac per aliud hoc sensu comprehendit, quod accidit ut id quod sentiat album esset. Itaque nihil patitur qua ex parte tale est, à re quæ sensibus obijcitur. Eorũ autem quæ per se sensum mouent, propria uerè ac propriè sensum mouent, ad eaq; accommodantur, in quibus uniuscuiusque sensus natura uersari solet.

Cap. 7 Cuius enim aspectus est, id aspectabile est: et quod aspectabile, color: & quod oratione quidem exprimi potest, sed uacat nomine: quod quidẽ in sermonis progressu omnibus perspicuum erit maximè. Nam quod spectabile dicimus, color est: color autem est in eo quod per se ac ui sua oculos mouet. per se autem mouere dicitur, non ex ratione ac cogitatione, sed ex eo quod in se causam habet cur sit aspectabile. Omnis autem color uim habet id mouendi, quod reipsa perlucidum est, eaq; illius natura est. Itaq; sine lumine cadere sub aspectum nullo modo potest: sed singuli colores omnino ac planè lumẽ requirũt, ut cernantur. Ex quo intelligitur, primùm de lumine quid sit, esse dissendũ. Est igitur aliquid perlucidũ. perlucidũ autẽ id appello, quod sensum oculorũ illud quidẽ mouet, non tamẽ per se ac ui sua eum mouet, sed ui alieni coloris: quo in genere est aer, aqua, multaq; corpora ex ijs quæ solida dicuntur. Neque enim aqua & aer eo ipso quòd aqua & aer sunt, perlucida sunt: sed quòd in utroq;

utroq; eorum natura eadem ineſt, quæ in æternis naturis corporibusq; cœleſtibus. Lumen autem facit, ut perlucida res qua ex parte perlucida eſt, reipſa cernatur: quod quidem in quibus naturis reperitur, in ijſdē tenebræ eſſe poſſunt. Lumen autem quaſi color eſt naturæ translucidæ: cum eam ignis reipſa ſub aſpectum ſubijcit, aut aliquid eiuſdem generis: id quod naturis cœleſtibus contingit, in quibus aliquid unum atque idem ineſt. Ac quid ſit translucidum, quid lumen, ita diximus, ut nec ignis eorum natura eſſe intelligatur: nec omnino corpus, nec ullius corporis fluxio (ſic enim quoddā etiam corpus eſſent) ſed ignis, aut alicuius corporis ciuſdem generis in re perlucida, præſentia. Neque enim duo corpora ſimul in eodē eſſe poſſunt. Lumen autē et tenebræ ſic inter ſe affecta ſunt, ut contraria eſſe uideantur. Itaque tenebræ, huiuſmodi habitus in natura translucida priuatio eſt. Ex quo illud etiam perſpici licet, lumē huius rei talis præſentia eſſe: nec rectè Empedoclem dixiſſe, aut ſi quis alius ita tradidit, lumen eſſe quod & feratur, & in medio terræ atque cœli ſuſpenſum hæreat, etiam ſi hoc nos lateat: quod & omnium uoci repugnat, & ijs quæ animaduertimus. Vt enim paruo interuallo interiecto id nos lateat, certè ab ortu ad occaſum poſtulare ut id nos fugiat, magnum eſt. Color autem in naturam coloris expertem cadere poteſt, et ſonus in rem ſono uacantem. Coloris porrò expers eſt natura perlucida, & ea quæ aut prorſus cerni non poteſt, aut uix poteſt: quo in genere id uidetur, cui tenebræ offuſæ ſunt. natura quidem perlucida huiuſmodi eſt, non cum re ipſa

perlucida est, sed cum eius uim habet. Eadem enim natura aliàs tenebræ, aliàs lumen est. Neque uerò in luce sunt omnia quæ sub conspectum cadũt, sed suus cuiusque rei tantum color. Sunt enim quædam eiusmodi, quæ cum in lumine non cernantur, in tenebris tantum sensum faciunt: ueluti ea quæ ignita sunt, & splẽdida. Vacant autem nomine hæc omnia, ut fungus, cornu, capita squamæ, oculiq; piscium: nec ullius horum proprius color cernitur. Et causa quidem quæ sit cur hæc uideantur, non est huius loci exponere. Nunc autem hoc tantum perspicuum est, colorem id esse quod in lumine cernatur. Itaque sine lumine non uidetur: propterea quòd hæc coloris natura est, id quod uim habet mouendi rem quæ re ipsa perlucida est. Natura aũt quæ reipsa perlucidum aliquid reddit, lumen est. Idq; ex eo intelligitur, quòd si quis apponat aspectui quippiã, quod colorem habeat, non uidebitur. Sed color naturam perlucidam, ut aera, mouet: aqua cum cõtinuatur, sensus sedes mouetur. Neque enim præclarè hoc Democritus censuit, si inanis esset & uacaret corporibus locus inter nos & cœlum interiectus, acriter cerni posse etiam formicam, quæ esset in cœlo: hoc enim fieri non potest. aspectus enim tum denique efficitur, cum oculos res quæpiã mouet, atque impellit: quod cum ab ipso colore qui cernitur fieri non possit, relinquitur, ut ab eo spacio quod interiectum est. Ex quo perspicuum est, oportere aliquid in medio esse locatum, quod si inane sit, non dico acriter, sed nullo modo quicquã cerni possit. Causam quidẽ cur necesse sit colorem in lumine uideri, diximus. Ignis autem in

utroq;

utroq; & in tenebris & in lumine cernitur, atque necessariò: propterea quòd natura quæ perlucida est, ab igne perlucida redditur. Eademq; ratio est & soni et odoris. Neuter enim eorum cum eam partem in qua sensus habitat attingit, sensum facit: sed ab odore & sono id quod interiectum est, impellitur, tum deinde ab hoc utraque pars in qua sensus inest. Quòd si quis eidem parti rem quæ resonat aut odorem efflat, apponat, nullum sensum faciet. In tactu etiam atque gustatu idem cõtingit, sed non apparet: cuius causa quæ sit, pòst intelligetur. Quod autem interiectum esse debet, in sono quidem aer est: in odore uerò, uacat nomine. Cõmunis enim quædam est & in aere & in aqua affectio, ut res perlucida coloris, sic ei quod odorem habet, quæ quidem in utroque horum inest. Nam cum aquatiles etiam bestias constet odoris sensu affici, tamen homo, eaq; animantia quæ gradiuntur & respirẽt, sensum odoris habere nisi respirando nõ possunt, cuius rei causa postea etiam explicabitur.

Nunc autem primum de sono & auditu dißeramus. Est autem duplex sonus, quorũ unus reipsa est: alter non est reipsa, sed in eo illius uis est. Sunt enim quæ resonare negamus, ut spongiam, ut lanam: sunt quæ sonare dicimus, ut æs, & omnia quæ solida & læuia sunt, quòd resonare possunt. Idque est interiecta ipsa re atque aere, reipsa sonare. Sonus autem reipsa tum elicitur semper, cum alicuius ex alio atq; in alio ictus elicitur. Ictus enim ac conflictus est, qui resonat. Itaque fieri non potest, ut ex una re sonus eliciatur. Aliud est enim id quod pellit, aliud id quod pellitur. Cap. 8.

Quocirca id quod resonat, cum alia re coniunctũ sonat, nec ictus fit sine motu. Nec uerò quarumuis rerũ pulsus, est sonus. Neq; enim iam, ut dixi, ullo modo sonant lanæ, siue pellant, siue pellantur: sed æs, & omnia quæ læuia & caua sunt: quorum æs resonat, propterea quòd læue est. ea autem quæ concauas habẽt altitudines, relatione ipsa diu post primum ictum sonum retinent: quòd sonus ex re quæ pulsu agitata est, dissipari non potest, ut præterea in aere & in qua, etsi minus exaudiatur. Neq; uerò in sono aer et aqua omnia possunt, sed pelli & solida corpora inter se et aera oportet: quod tum fit deniq;, cum aer pulsus remanet, nec diffunditur, aut dissipatur. Itaque si uehemens sit & repentinus pulsus, sonus elicitur. Debet enim quæ dã aeris qui pulsum rapit, anticipatio occupare: ut si quis arenæ cumulum, qui in præceps ruat, impellat. Relatio autem soni tũ fit, cũ ab aere qui idem unusq; manet, per uas quod extremis partibus dissipari sonũ prohibeat, rursus aer pellitur: cuius generis est circulus. Sẽper aũt sonus refertur, etsi obscurè: quando quidẽ idẽ in sono contingit, quod in lumine quod semper refertur. neq; enim omnẽ ad partem perueniret, sed tenebræ offunderentur extra eũ locũ, cui sol colluceret. Nec uerò ita refertur, ut ab aqua, aut aere, aut ab aliquo alio læui corpore. Quocirca umbrã efficere eadẽ ex parte definimus, qua & lumen. Rectè autẽ id quod inane est, in auditu dominari dicitur. Videtur enim inanis esse aer, qui cum pulsu agitatus est, unus atque continuatus facit, ut audiamus: sed quia fragilis est, non redditur, nisi læue sit id quod impellitur.

Tum

Tum enim unus efficitur atque coniungitur propter rei planiciem et æquabilitatem. Vna enim rei leuis est planicies. Ac illud quidem uim resonandi habet, quod aera coniunctum atque continuatum usque ad auditum impellere potest. Auditus autem cognatione quadam cum aere coniungitur: qui quoniã ad aera pertinet, simulatq; id quod extrà patet, pellitur: pellitur id etiam quod intus est. Itaque non ex omni parte audit animal, nec in omnem partem aer diffunditur: quãdo quidem non ex omni parte aer ad eam partẽ quæ pellere debet, est´que animata, peruenit. Id quod in pupilla animaduerti licet, quæ non undique humorem accipit. Atque aer quidẽ soni expers est, propterea quòd facile dißipari potest: cum autem dißipari non potest, eius agitatio est sonus. Idemq; in auribus uersatur, ut sit immobilis, eoq; acriter omnia impulsuum genera sentiamus. Ob eamq; causam in aqua audimus, quòd ad ipsum cognatum aera non introeat, nec ad aures: propterea quòd tortuosum flexuosum´que iter habent. Quod si fiat, nõ exaudimus, nec si membrana cerebri ægrotet: quemadmodũ cum mẽbrana ea quæ aciẽ obducit, ægra est. Vtrum autẽ exaudiat quispiã, necne, auris quæ semper ut cornu tinnit, declarat. Sempiterno enim quodam & suo pulsu aer, is qui inest in auribus, agitatur. Sed tamen sonus est alienus, non proprius: ob eamq; causam nonnulli asseuerant, auditum gigni ab inani quod sonet: quia per id audiamus, quod definitum certumq; aera habeat. Vtrum autem resonet id quod pellitur, an id quod pellit, an etiam utrumq;, sed alio atque alio modo, quæstio est. Est e-

nim sonus, pulsus eius quod pelli potest: quemadmodum ea quæ referuntur & resiliunt à leuibus corporibus, cũ quis ea impellit. Nõ omnia quidẽ iam ut dixi, quæ pelluntur & quæ pulsum afferunt, resonant: ut si qua acus acum pellat, sed id quod pulsu agitatur, æquabile esse debet, ut aer confertim referatur & dissipetur. Eorum autem quæ resonant genera, usu soni declarantur: ut enim sine lumine colores minimè cernũtur, sic nec sublato sono acutus & grauis intelligi potest. Hæc autẽ translatione dicuntur, ex ijs rebus quæ sub tactum cadunt. Acutus enim sensum paruo tempore multum afficit, grauis parum longo tempore. Nec uerò acutus est, qui uelox: nec grauis, qui tardus: sed illius fit propter celeritatem huiusmodi impulsus, huius uerò propter tarditatem. Videnturq; acutũ & obtusum id quod in tactu uersatur, imitari. Quod enim acutum est, quasi pũgit: quod autem retusum est, quasi pellit propter impulsionem: quod illud citò, hoc tardè efficit. Ex quo efficitur, ut illud uelox sit, hoc tardum. Ac de sono hactenus. Vox aũt sonus est quidã naturæ animatæ. Earũ enim quæ sine animo sunt, nulla uocalis est, sed quadam similitudine uocem fundere dicũtur: ut tibia, ut fides, cæteraq; inanima, intentionem habent, cantum, & sermonem, ut etiam uox eis tributa uideatur. Multis uerò animantibus non est data uox: quo in genere ea sunt maximè, quæ sanguinem non habent, & eorum quæ habent, ut pisces. nec iniuria, siquidem sonus est aeris impulsus. Qui autem uocem mittere dicuntur, ut pisces qui in Acheloo amne sunt, brãchijs, aut aliquo eiusdem generis resonant.

nant. Vox aũt est animantis sonus, qui non quauis parte referatur. sed quoniã omnia quæ resonant, id tum faciunt, cum & aliquid pellit, & id aliud & per aliud pulsu agitat, idq; aer est: consentaneum est ea uocem sola fundere, quæ aera accipiant. Naturæ enim ut linguæ, sic spiritus usus, duorum munerum causa datus est, gustatus atq; sermonis: quorum gustatus necessitatis, ob eamq; causam in pluribus reperitur: sermo autem, ornatus causa comparatus est. Ita spiritu utitur, & ad calorem insitum, quod sit necessitatis, (causa autem alio loco exponetur) & ad uocem, ut moderatè decoreq; fundatur. Respirationis autem instrumentũ est guttur, quæ quidem pars pulmonis causa est data: propterea quòd animantes gradientes, caloris copia quam ab hac parte habent, cæteras superant. Respiratione etiam eget locus primus, qui cor continet. Itaque necesse est, cum in intimis partibus respiratur, aera intrare. Quocirca uox est, pulsus aeris qui ab ea anima, quæ in his partibus inest, ad arteriam trahitur. Neque enim omnis animantium sonus est uox, quemadmodum diximus (lingua enim resonare potest, qualis est sonus tussientium) sed & animatum esse debet id quod pulsat, & cum quadam uisione. Vox enim est sonus quidã, alicuius rei interpres: nec spiritus qui ducitur, ut tussis, sonus est: sed hoc ipso pellit & trahit ad se eum qui est in arteria. Quod ex eo sciri licet, quia fieri non potest, ut uocem mittat is qui ducit, aut edit spiritũ: sed is modò qui retinet, præsertim cum eum qui retinet impellat. Ex quo etiam perspicuum est, cur uox non sit data piscibus. Ne-

que enim guttur habent, qua quidem parte carent: propterea quòd non ducunt spiritum, nec respirant. Qui autem eos uocales esse dicunt, uehementer errãt: cur autem, alia est ratio.

Cap. 9. De odore autem, eaq; re quæ odoratũ mouet, disserere difficilius est, quàm de superioribus. Neq; enim perinde perspicuum est quid sit odor, ut quid sonus, quid lumẽ, quid color: idq; eò fit, quod non ineſt in nobis acer hic sensus, sed eo à multis animantibus uincimur. Aegrè enim homo olfacit, nec quicquã eorũ quæ odorem efflant, percipit sine dolore aut uoluptate: quòd non sit in eo subtilis hic sensus. Quo etiã modo consentaneũ est, animantia ea quæ duris sunt oculis, colores sensu cõprehẽdere: nec colorũ, nisi ex terrore, & metus uacuitate, internoscere posse uarietates. Sic etiam odores hominum genus distinguit. Videntur enim eandẽ habere rationẽ ad gustatum, quam genera saporum ad odorũ genera habent. Sed gustatus in nobis est acrior, propterea quòd ipse est tactus quidã, qui sit in homine acerrimus. Nam cum cæteris sensib. à bestijs longè multumq; superemur: tamen tactus iudicium in nobis, quàm in pleriſq; alijs acrius est. Itaq; prudentia belluis homo antecellit. hinc in hominum genere ex hoc sensu excellenti ingenio atq; tardo sunt præditi, ex alio non sunt. Quorũ enim prædura caro est, ij tardo ingenio sunt: quorum autẽ mollis est, ingenioſi. Vt autem sapor alius dulcis est, alius amarus: sic odores. Sed eorum partim habent odorẽ & saporem eiusdem generis, partim contrà, ut suauem iucũdumq; odorem, & dulcem saporem: eodemq; modo odor est acer,

est acer, austerus, acidus, pinguis. Sed quoniam ut antè dixi, non perinde noti sunt odores, ut sapores, ab his rerum similitudine nomina duxerunt. Dulcis enim à croco & melle dictus est: acer à thymo, cæterisq; generis eiusdem. Quod de reliquis iudicandum est eodem modo. Iam uerò quemadmodũ auditus singuliq; sensus, ille & in re uersatur quæ auditum mouet, et in ea quæ nõ mouet: alius et in eo quod sub oculos cadit, & in eo quod aciem oculorum fugit: ita odoratus & in eo quod odorem efflat, et in eo quod non efflat, cernitur. Quod autem odorem nõ efflat, partim ex eo dicitur, quod nullo modo ullum odorem afferre possit, partim quod exigui atq; tetri odoris sit. Eodemq; modo id quod saporem habet, & quod eo caret, dicitur. Odoratus etiã medio quodam interuallo, ut aeris & aquæ, existit. Etenim aquatiles bestiæ odorẽ sentiunt, itemq; eæ quæ sanguinem habent, & quæ non habent: quemadmodum etiã uolucres, quarũ nonnullæ procul ad pastũ odore illectæ cõmeant. Itaq; quæstio est, num bestiæ eodem modo omnes olfaciant: homo uerò respirando, ita tamen ut si non ducat spiritum, sed edat, aut retineat, non sentiat odorẽ, nec procul remotus, nec si propè abs sit, nec si res quidẽ odorata intra nares apponatur. Ac illud quidẽ, nullũ sensum moueri ab eo quod sensibus apponatur, cõmune est animantium omniũ: non sentire autẽ odorem nisi respirãdo, hominum propriũ est. Quod perspici licet in ijs, quorum odoratus labefactus est. Quapropter bestiolæ quæ sanguine carent, non ducunt spiritum: quoniam aliquem alium sensum habeant, præter eos quos enumerauimus

merauimus. Sed fieri nõ potest, siquidem odorem sentiunt. Sensus enim rei quæ odorem habet, & rei quæ tetri, & eius quæ boni odoris est, odoratus dicitur. Præterea illas ab ijs reb. quæ tetri acrisq; odoris sunt, cuius generis sunt bitumẽ & sulphur: aliaq; uehemẽtia extingui non minus quàm homines, cernimus. Ex quo fit, ut odorem etsi non respirantes, sentiant. Vide turq; sensus hic in hominibus, à bestiarum sensibus eo modo differre, quo oculi ab ijs quæ duros & corneolos habent. Oculi enim molles palpebris quasi inuolucro sepiuntur, quæ nisi aperiantur, nõ cernũt. Eis aũt animantibus, quæ oculos duros & corneolos habent, nihil tale datum est: ob eamq; causam statim cernunt ea omnia quæ in lumine obijciuntur. Eodem igitur modo sensus odoratus, alijs nulla re obductus instar oculi, datus est: ijs autem quæ spiritum ducunt, quoddam operculum largita est natura, quod cum respirãt, aperitur, uenis itineribusq; amplificatis. Ob eamq; causam ea animantia quæ spiritum ducunt, in aqua non olfaciunt. Ea enim respirãdo odorem percipiant necesse est, quod in aqua facere nullo modo possunt. Odor autem aridæ rei est, ut sapor humidæ, quæ uis in sensu odoratus inest.

Cap. 10. Quod uerò sub gustatum cadit, quiddam est eorũ quæ tactui subijciuntur, eoq; fit ut non cadat sub sensum: propterea quòd alienum sit corpus id quod interiectum est, neq; enim tactus est. Atq; etiam res ea in qua sapor inest, in liquore qui materiæ locum tenet, degustatur: quod quiddam est propositum subiectumq; tactui. Itaq; in aqua etiam sensum habemus

inserta

inserta ingestaq; re, quæ iucundum saporem afferat. Neq; uerò eius nobis sensus esset, per id quod interiectum est: nisi humori, ut potioni, admixta esset. Color autem non ita ex eo quod misceatur, aut fluxionibus cernitur. Atq; ut medij locum obtinet, nihil est: ut aũt color est, sub conspectũ cadit: quemadmodũ sapor, id est quod gustatur. Sed nihil saporis sensum facit sine humore, omniaq; eius generis uel humoris usum, uel eius uim habent: ut ea quæ sale condita sunt, quæ eadem facilè liquari possunt, aptamq; uim habent ad gignendum in lingua liquorem. Vt autem aspectus est et rei quæ oculos mouet, et eius quæ nõ mouet: (tenebræ enim eos non non mouent, etsi earum iudicium sit in aspectu) & præterea rei splendidæ, (hæc enim aciem oculorum fugit, etsi alio modo atq; tenebræ) sic aurium iudicium & ad sonos, & ad silentium pertinet: quorum illi audiuntur, hoc non auditur: itemq; ad uehementes sonos, quemadmodum res splendida sub aspectum cadit. Vt enim parui soni nõ possunt audiri quodãmodo, sic nec magni, nec uehemẽtes. Quæ autem aciem oculorum fugiũt, partim eiusmodi sunt, ut planè fugere dicãtur, quomodo etiã in alijs rebus, id quod fieri non potest: partim ita, ut natura sua fugiant, aut uix & ægrè cernantur: quomodo etiam id quod pedibus caret, & quod igne dicitur. Similiter gustatus etiam, & in eo quod gustatur cernitur, & in eo quod non gustatur: quale est id quod uel paruum, uel tetrum saporem habet, uel gustatum labefactat. Fons autem & principium horum omnium ab ijs ducitur, quæ ad potandũ apta sunt, & quæ non

sunt:

sunt: præsertim cum utrunq; horũ degustatio sit quædam: ita tamen ut hæc insalubris sit, gustatumq; labefaciat: illa salubris sit, et ad naturam accõmodata. Sed quod ad potandum aptum est, & tactus & gustatus commune est. Quoniam autem id quod humidum est, sub gustatum cadit: necesse est eius sensum nec reipsa humidum esse, nec eiusmodi, qui humefieri nequeat. Afficitur enim quodam modo gustatus ab eo quod gustatur, quatenus sub gustatum cadit. Liquefiat ergo oportet, id quod saluum & incolume humefieri potest. Sensum autem gustandi non humidum esse oportere, hinc intelligitur: quòd lingua ipsa si arida sit, aut admodum humida, saporem non sentiat: quippe quæ tactu suo primi liquoris periculum facere uideatur. Vt cum quis prægustata re acris saporis, aliam degustat: & quemadmodum ægris amara omnia uidẽtur, propterea quòd in eorum lingua magna eius humoris cõpia abundet. Saporum autem genera, colores ita imitantur, ut simplices contrarij sint dulcis & amarus, quos sequãtur, illum quidem pinguis & crassus, hunc salsus: quibus interiecti sunt, acer, austerus, acerbus, & acidus. Hæ enim ferè sunt saporum uarietates. Ita fit, ut id aptum sit ad gustandum, in quo sit uis talis: id autem gustatum moueat, quod reipsa eius sit efficiens.

Cap. 11. Eorum autem quæ tactum mouent, & tactus, eadẽ est ratio. Si enim tactus nõ est sensus unus, sed plures: ea etiã quæ tactũ mouẽt, plura sint necesse est. Quanquã plures ne sint, an unus, quæstio est, et quis sit sensus quo ea quæ tactum mouent, iudicẽtur: utrum caro

& in

& in alijs aliquid quod eius uim obtineat, nécne: sitq; caro medium, & primus sensus aliud quiddam interius. Nam cum sensus omnis unius repugnantiæ esse uideatur, ut aspectus, alborum et nigrorũ: auditus, acuti et grauis soni: gustatus, dulcis & amari saporis: tamen in sensu tangendi multæ sunt contrariorũ repugnantiæ, calida, frigida, arida, humida, dura, mollia, & si qua sunt eiusdẽ generis. Sed ad hanc quæstionẽ explicatio adhiberi potest: alios etiam sensus in multis repugnantijs uersari, ut in uoce non solũ est acutus sonus & grauis, sed etiam magnitudo & paruitas, læuitas & asperitas uocis, aliaq; generis eiusdẽ. Quinetiam colores sunt hæ tales uarietates. Sed tamen quid nam sit subiectum, ut auditui sonus, sic tactui, perspicuum non est, utrum sit interior sensus, nécne sit. nec caro statim ullo id modo declarat, eo ipso quòd simulatque eam tractat & attingit quispiam, sensu afficiatur: præsertim cum si quis ei apponat linteum, ut primum tetigerit, sensu eam sit affecturus. At qui non est id quidem dubium, quin in tali re non sit sensus. Quæ si cognata sit & insita, profectò facilius etiam ac celerius ad sensum perueniet. Itaq; hæc ipsa pars corporis eam uim habere uidetur, quam aer, si natura nobis circumfusus esset. Videremur enim uno aliquo, & sonum sensu percipere, & colorem & odorem: unusq; nobis sensus aspectus, auditus, odoratusq; uideretur. Nunc uerò quoniam expositum est quid sit à quo motus oriantur, perspicuum est diuersos esse sensus, quos commemorauimus. Quanquam hoc in tactu nunc incertum est. Cum enim ex aere, uel

aqua

aqua animatũ corpus, quoniã aliquid solidum esse debet, cõstare nõ posit, profectò ex terra atq; ex his cõcretum sit necesse est, qualis est caro, & quod eam imitatur. Ita necesse est etiam corpus esse in medio eius quod uim mouẽdi tactum habeat, quod sensus qui plures sunt, oriantur: plures autem esse, linguæ tactus indicat, quæ eadem ex parte & omnium rerum quæ sub tactũ cadunt, & saporis sensu afficitur. Ac si alia caro sapore afficeretur, ideo & unus sensus gustatus & tactus esse uideretur. Nunc autẽ duo sunt, propterea quòd nõ retrò commeet. Quæret autem quispiã, si omne corpus profundum altitudinemq; habet, quod est tertium genus magnitudinis. Quibus autem corporibus duobus, aliquod corpus interiectum est, ea inter se aliud ab alio tangi nõ possunt, & quod humidũ est sine corpore constare non potest, nec quod humectum, sed uel aquã esse oportet, uel certè aquã habere. Ea porrò quæ se ipsa in aqua contingunt, nisi sint aridæ extremitates, aquam interiectam necesse est habere, cuius sint plenæ extremitates: profectò si ita est, aliud ab alio in aqua contingi non potest. Eademq; aeris est ratio. Eandem enim rationem habet aer ad ea quæ in aqua sunt, sed magis nos latet (quemadmodum ea etiam animantia quæ sunt in aqua) an humida rem humidam contingat. Vtrum igitur omnium est sensus eodem modo, an aliorum aliter, sicuti nunc uidetur, quæri potest. Nam cum gustatus & tactus tangendo fiant, cæteri tamen eminus, quod illis non contingit. Quin etiam dura et mollia per alios sentimus, quemadmodũ res quæ sub auditum, aspectum, & odoratum

ratum cadunt: & tamen hæc longè, illa propè percipimus. itaque hoc nos latet, quandoquidem medio quodã adhibito omnium munere fungimur, etsi in his nõ uidetur. Quòd si, quemadmodum antè dictum est, per membranam ea omnia quæ tactum mouent, sensu comprehenderemus, ignari eius rei quæ prohiberet & intercederet, certè eodem modo in aere, quo nunc in aqua, affecti essemus. Ea enim contingere uidemur, nec aliquid nobis interiectũ uidetur. Sed hoc interest inter ea quæ tactũ, et ea quæ oculos, auresq; mouent, quòd hæc sensu percipimus cũ aliqd interiectũ est: res uerò quæ sub tactum cadunt, non per mediũ, sed una cum medio sentimus. Quod in eo qui scuto ictus est, animaduerti licet. Neque enim scutum pulsum percussit, sed ita accidit ut ambo pellerẽtur. Omninoq; uidetur caro & lingua eandem habere rationem ad sentiendi instrumentum, quam aer & aqua ad aspectum, auditum, odoratumq; habent. Quòd si sentiendi instrumentum contingatur, neque illic, neque hic sensus afficietur: ueluti si quis aliquid album in extremis oculis ponat. ex quo etiam perspicuum est, eam partem in qua situs sit tangendi sensus, esse interiorem, in qua idem fiat quod in cæteris. si quid enim ponatur super eam partem in qua est sensus tangendi, nihil percipiet: sin carni apponatur, percipiet. Ita fit, ut caro medium eius sit, quod tactum mouere potest. Ea autẽ quæ sub tactũ cadunt, corporis sunt: qua ex parte corpus est, uarietates & distinctiones. Varietates autem appello eas, quas elementa distinguũt, calidum, frigidũ, aridum, humidum: de quibus antea in libris de Ele-

mentis diximus. Eorum uerò sensuum sedes & locus in quo primum est tactus, pars est quæ talis esse potest, qualia reipsa sunt ea, quæ tactum mouent. Sensu enim percipere, est aliquo modo affici & pati. Itaque quod facit id quale est reipsa, tale illud, quod tale esse potest, facit. Quocirca rem æquè calidam, aut frigidam, duram uel mollem sensu non percipimus: sed eas quæ illis qualitatibus præstant, quòd sensus sit quasi sequester quidam, & medium repugnantiæ, quæ in rebus ijs quæ sensum mouere possunt, reperitur: ob eāq; causam, ea quæ sub sensum cadunt, iudicet. Est enim in mediocritate uis iudicandi, præsertim cum si cum duobus extremis conferatur, alterutrius nomen obtineat. Et quemadmodum id quod album & nigrum quippiam sensu percepturū sit, neutrum eorum reipsa esse debet: sed eiusmodi ut utrūq; esse possit, itemq; in cæteris sensibus: sic etiam tactus nec calidus, nec frigidus esse debet. Præterea ut aspectui quodammodo et ea quæ oculos mouent, et ea quæ non mouent, subijciuntur, itemque alij sensus in contrarijs uersantur: sic tactus, & rei est quæ sub tangendi sensum cadit, & eius quæ non cadit. Id autem sub tangendi sensum non cadit, et id quod planè exiguam habet differentiam & rationem eorum quæ sub tactū cadunt, ut aer: & rerum sub tactum cadentium exuperantiæ, quo in genere ea sunt, quæ uim habent ad interimendum. Ac de singulis quidem sensibus simpliciter ac planè diximus.

Cap. 12. De toto autem sensuum genere hoc intelligendum est, sensum esse id quod uim habet accipiendi sine materia

teria, formas et species rerum sub sensum cadentium: ut cera annuli formam sine ferro aut auro accipit, signumq; aureum aut æneum recipit, non qua ex parte æs uel aurum est: eodemq; modo unusquisque sensus ab eo quod colore, aut sapore, aut sono præditum est, afficitur: quod non fit quatenus unumquodq; eorum dicitur, sed quia tale, atque ex ratione. Principiū autem sentiendi est id, in quo hæc talis uis reperitur. Atque id quidem idem est, sed eius est natura & ratio diuersa. Quod enim sensu percipit, est id quædam magnitudo, sed non eo ipso quo uim habet sentiendi: nec sensus magnitudo est, sed illius uis & ratio. Ex quibus hoc etiā perspicuum est, cur ea quæ mouent sensum si qualitatib. excellant, sensus labefactēt. Si enim sit sensus uehementior motio, ratio ipsa in qua sensus consistit, dissoluitur: quemadmodum concentus, & contentio, si chordæ uehemēter pulsentur. Illud etiam perspicuum est, quamobrē ea quæ gignūtur è terra, non sentiant, quæ & partem quandam animatam habent, & à rebus sensum mouentibus afficiuntur. Hoc fit propterea, quòd medio carent: cóque principio quod species rerum sub sensum cadentium recipit, quodq; patiendo materiam ipsam retineant. Quæri autem potest hoc loco, num aliquo modo afficiatur ab odore id quod olfacere non potest: aut à colore id, quod non potest cernere. Quod etiā de cæteris quæri potest. Cū odor id sit quod odoratum mouet, et si quid odoris sensum afficit, id odor faciat: profectò nihil neque eorum quæ olfacere non possunt, ab odore affici potest, eademq; est ratio cæterorum: neque eorū quæ possunt,

nisi quatenus quodq; eorũ uim habet sentiendi. Quod hinc etiam perspici potest, quòd nec lumẽ et tenebræ, nec sonus, nec odor, ullo modo corpora afficiunt: sed ea tantum in quibus insunt, ut spiritus cum tonitru ligna discerpit. Quanquam res quæ sub tactum cadũt, atq; sapores corpora afficiunt. Aliter enim, à quo tandem inanimatæ res paterentur, atq; immutarentur? Aut illa etiã afficiunt, aut certè non omne corpus eam uim habet, ut ab odore & sono patiatur: et ea quæ ab illis afficiuntur, nullo certo termino coercentur: nec manent, uelut aer, qui olet quasi aliquid acceperit. Quid est igitur odore affici, nisi aliqd accipere et quasi pati? an olfacere quidẽ est sensu percipere, aer aũt affectus citò eiusmodi efficitur, q sensum moueat?

ARISTOTELIS DE Animo Liber tertius, Ioachimo Perionio Benedictino interprete.

NOn esse autem sensus nisi quinque (hos autem dico aspectũ, auditum, odoratum, gustatum, & tactum) ex his intelligi potest. Si omnium quorum tactus sensus est, nunc etiam sensum habemus (omnes enim eius quod tactum mouet, quatenus mouet, affectiones, tactum nobis mouent) necesse est si quis sensus absit, partem etiam aliquam nobis abesse, in qua sensus sit sedes. Ac ea quidem quæ nos contingentes sensu percipimus, sensu tangendi quo præditi sumus, percipiuntur: quæ autem medio interiecto sensu percipimus, ac non ita ut ea contingamus, simplicibus interuallis, ut aere atq; aqua, percipimus. Res autem ita habet,

ita habet, ut si uno adhibito medio, multa, id est duo quæ sensui subijciantur, quæq; diuersi sint inter se generis sensu percipantur: necesse sit eum qui eiusmodi sensu præditus sit, uim eam habere, ut utrunq; sentire possit: uelut si ex aere sit sensus, & aer tum soni sit, tum coloris. Si plura sint eiusdem, ut coloris & aer et aqua (utrunq; enim perlucidum est) is etiam qui alterum eorum tantum habeat, id quod utriusq; est sentiet. Ex duobus autem quæ simplicia sunt, ex aere & aqua, sensus solum constant: papilla enim naturam aquæ, auditus aeris, odoratus alterius horũ imitatur. Ignis autem aut in nullo reperitur, aut communis est omnium. Nihil enim sine calore uim sentiendi habet. Terra uerò aut nullius est, aut certè maximè tactui proprietatequadã admixta est. Ita relinquitur, nullũ esse sensum qui aquæ & aeris expers sit. Hæc autem etiam nunc nonnullis animantibus suppetunt. Omnes igitur sensus in ijs animantibus quæ non sint imperfecta, nec debilia, reperiuntur. Constat enim, talpam oculos corio tectos habere. Ita si nulla est alia natura, aut affectio, quæ non aliquam naturam, quæ hic est, attingat, profectò nullus sensus abest. Nec uerò fieri potest, ut proprius sit ullus sensus eorum quæ communia sunt omnium, quæ eadem unoquoq; sensu impropriè & per aliud percipimus: uelut motus, status, figuræ, magnitudinis, numeri, unius. Hæc enim omnia ex motu sentimus, ut magnitudinem ex motu. Ita figuram etiam, quippe cum figura quædam sit magnitudo. Quod autem quiescit, ex motus priuatione: numerum uerò, cohærentis naturæ detractione atque

proprietatibus. Vnusquisque enim sensus unius sensum habet. Ex quo perspicitur, fieri non posse, ut cuiuis sensui hæc ut motus subijciantur. Sic enim fiet, ut nunc cum dulcedinis sensum aspectu habemus: idq; fit propterea, quod utriusque sensum habemus hoc ipso, quòd ea cum ocurrerint, scientia comprehendimus. Aliter enim nullo modo, nisi aliena ui, nõ sua, aliquid sensu percipimus: ueluti Cleonis filiũ, nõ quia Cleonis sit filius, sed quòd albus, quod Cleonis filio accidit. Cum aũt eorum quæ omnium sensuũ cõmunia sunt, communem iam sensum habeamus, profectò is non est proprius. Neque enim aliter ea sensu perciperemus, nisi id quod dictũ est, ut nos Cleonis filium cernimus. Quæ autem sunt cuiusque propria, ea sensus impropriè ac per aliud percipiunt: non hoc ipso quod ijdẽ sunt, sed quia unus sit, cum sensus simul in eodem uersatur, ut bilem amaram esse ac rufam. Neque enim certè quidem diuersus sensus utrunque unũ esse iudicat. Itaque fallitur, si quid rufum sit, & bilem esse existimet. Sed quærat hoc loco aliquis, quid ita plures sensus, non unus tantum nobis sit datus: an ne consequentia, et ea quæ communia sunt omnium nos fugiant, ut motus, magnitudo & numerus. præsertim cum si aspectus unus & idem in candore uersetur, magis hæc nos laterent, idemq; omnia esse uiderentur, propterea quòd color & magnitudo simul in eandẽ rem cadũt. Nunc uerò, quoniam in alio sensu communia insunt, planum fit, aliquid aliud unumquodque eorum esse.

Cap. 2. Quoniam autem nos ipsos & cernere & audire percipimus, certè uel aspectu nos cernere necesse

ceſſe eſt percipiamus: uel alio ſenſu, qui idem & in aſpectu ipſo & in colore qui obijcitur, uerſetur. Ita uel duo ſenſus eiuſdem rei erunt, uel idem in ſe ipſe uerſabitur. Iam uerò ſi ſenſus alius in aſpectu uerſetur, aut nullus erit in eo finis neque modus, aut certè idem erit ſuijpſius ſenſus. Ita in primo hoc faciendum erit, quod tamen in controuerſia eſt. Si enim aſpectu & oculis percipere aliud nihil eſt niſi cernere, & color cernitur, aut id quod colore præditum eſt: profectò ſi quis cernet id quod ipſum cernit, colorem etiã res quæ primum cernit, habebit: perſpicuũ ergo eſt, non unum ac ſimplex eſſe oculis percipere. Etenim cũ non cernimus, tum tenebras & lumen, quanquam non eodem modo, internoſcimus. præterea id quod cernit, ſpeciem quandam coloris habet: quippe cum ſenſus rem quæ ipſum mouet, ſine materia recipiat. Itaque rebus ijs quæ ſub ſenſum cadunt abſentibus, & ſenſa & uiſiones inſunt in ſenſibus. Quanquam autem rei quæ ſenſum mouet, et ſenſus, idem uſus eſt & unus, ueluti ſoni & auditus uſus, eorum tamen eadem natura & ratio non eſt: præſertim cum fieri poßit, ut is qui auditu ſit præditus, non audiat: & quod ſonum habet, non ſemper reſonet. Cum autem id quod audire poteſt, in eo occupatur, & reſonat id quod ſoni eſt particeps: tum denique ſimul & auditus & ſoni uſus eſt, ut illud auditio, hoc ſonitus dici poſſe uideatur. Quòd ſi & motus, & effectio, & affectio in eo ſunt quod fit, profectò ſit neceſſe eſt & ſonus et auditio reipſa, in eo quod uim eorum recipere poteſt. Eorum enim quæ efficiendi & mouendi uim

habent: usus & functio in eo quod patitur & accipit, ineſt. Itaque non neceſſe eſt, moueri id quod motum afferat. Eius igitur quod uim reſonandi habet, uſus ſonus dicitur: eius autem quod audiendi, auditus uel auditio. Duobus enim modis & auditus & ſonus dicitur. Eadem eſt ratio & reliquorum ſenſuum, & eorum quæ ſenſibus ſubijciuntur. Vt enim effectio, & affectio in eo ſunt quod patitur, non in eo quod facit: ſic rerum quæ ſenſum mouent uſus in eo eſt, quod uim ſentiendi habet. Sed in quibuſdam nomen habuerunt, ut ſonitus, ut auditio: in alijs alterum uacat nomine. ὄψασις enim ſenſus oculorum uſus dicitur, coloris autem nomen non inuenit: ut degustatio uſus eſt rei quæ apta eſt ad guſtandum, ſaporis autem nomen non habet. Quoniam autem unus uſus eſt & rei quæ ſenſum mouet, & eius quæ ſenſu percipere poteſt: natura autem et ratio diuerſa, neceſſe eſt ſimul et interire et cõ ſeruari tum auditionem quæ ita dicatur, tum ſonum, tum ſaporem, tum deguſtationem, aliáq; eodem modo. Quæ autem ex ui & poteſtate dicuntur, non neceſſe eſt. idq; non rectè tradiderunt ij qui ante nos de naturæ ratione diſſeruerunt: nihil eorum quæ alba et nigra ſint, ſine aſpectu, nec ſaporem ſine guſtatu poſſe exiſtere. Quadã enim ex parte rectè, quadam non rectè dixerunt. Cum enim duobus modis ſenſus & id quod ſenſibus percipitur, dicatur: & ex ui quæ in eis eſt, et ex uſu atque actione: de his quidem uera eſt, de alijs non eſt uera eorum ſententia, illiq; uno modo & omnino de ijs diſſerebant, quæ non uno modo omnino q; dicerentur. Quòd ſi concentus quidam uox eſt,

& uox

et uox atq; auditus sunt quasi unum & non quasi unum & idē: & concentus ratio est, auditus etiā ratio quædā sit necesse est. Ob eamq; causam aures obtundit atq; labefactat id omne, quod nimia quadā & acutie & grauitate soni præstat. Itemq; in saporibus gustatū, in coloribus etiam aspectum, id quod nimio fulgore nimiaq; opacitate præditū est: et odoratum nimis dulcis aut acer odor labefactat, quòd sensus quædam ratio sit. Itaq; iucunda & grata sunt syncera & simplicia omnia, cū modus quidā ratioq; adhibetur: ueluti quod acutū est, aut dulce, aut salsum. tum enim grata sunt. Quanquā ea quæ permixta cōfusaq; sunt, maius habent cum concentu commerciū, quàm acuta et grauia. Tactui aūt propositū est id quod uim habet caloris aut frigoris: sensus uerò, ipsa ratio & temperatio est. Sed ea in quibus hæ affectiones maiores sunt quàm decet, uel offendunt sensus, uel labefactant. Ergo unusquisq; sensus & in subiecta ac proposita re quæ sensum mouet, uersatur: & in sentiendi parte, quatenus sensus sedes est, inest: & propositæ sibi ad sentiendum rei uarietates, differentiasq; dijudicat. ueluti alba et nigra, aspectus: dulcia et amara, gustatus. Quod etiam fit in cæteris. Quoniam aūt alba & dulcia, singulasq; res quæ sensibus percipiūtur, collatas inter se internoscimus, atq; sensu percipimus: et differre inter se, & quid differant, hoc sensu faciamus necesse est. Sensus enim mouentia sunt. Ex quo perspici licet, carnem ultimā non esse sentiendi sedē. Necesse enim esset, id quod iudicaret, cum eam contingeret, iudicare. Nec fieri potest, ut id quod iudicat, diuersis dulcia ab

albis differre iudicet: sed alicui uni horum utrunq; nõ tum esse debet. Sic enim, etiãsi huius rei ego, illius uerò tu sensum haberes, nõ esset id quidem dubiũ, quin inter illa intereſſet. Vnum igitur aliquid sit oportet quod aliud dulce, aliud album esse dicat. Cum ergo idem esse dicat, profectò ut dicit, ita & animo & sensu percipit. Illud igitur perspicuum est, res diuersas à diuersis non posse iudicari. Quod etiam fieri non posse in diuerso tempore, hinc perspici licet. Vt enim idem aßerit, aliud bonum esse, aliud malum: sic cum unum diuersum esse dicit, etiam alterum dicit, neq; id per aliud et impropriè: uelut si nũc dico aliud esse, nõ tamen nunc aliud esse dico, sed ita, & nunc dicit, & nunc esse diuersum. Simul igitur. Ita & diuersum esse, et in diuerso tempore. Quinetiam fieri non potest, ut contrarijs motionibus idem simul agitetur, qua ex parte diuidi non potest: atque in tempore, quod diuidi nequeat. Si quid enim dulce est, sensum, uel mentem hoc modo mouet: quod autem amarum est, contrà: et id quod album est, alio modo mouebit. Num igitur id quod indicat simul & numero diuidi & tempore separari non possit, cogitatione autem & ratione possit, quæstio est: fieri quidem potest quodam modo, ut id quod diuidi potest, sensu ea percipiat quæ diuisa sint: fieri etiã potest, ut quatenus non potest diuidi, quippe cum ratione diuidi possit, loco uerò, tempore, numero que non possit. Quanquam, an non possit quæstio est. Cum enim idem uim habeat, ut & diuidi possit, & non possit, atq; sit contraria: tamen reipsa non potest, sed patiẽdo diuidi potest, nec idem simul

album

album & nigrũ esse ullo modo potest. Ita nec species eorum pati possunt, si eius generis est sensus & intelligentia. Sed eo modo quo pũctum, quod eo ipso diuidi potest, quod unũ est, aut duo. Quod ergo iudicat, unum est atq; simul, quatenus diuidi non potest: quatenus uerò potest, unum non est. Bis enim eodem signo simul utitur. Ac quatenus quidẽ duobus utitur, termino ipso duo iudicat, et diuersa sunt ut à diuersis: quatenus uerò unũ est, uno et simul utitur. Ac de principio quidem, quo animantia uim sentiendi habere dicimus, dictum sit hactenus.

Quoniam aũt duab. maximè differẽtijs animũ defi- Cap. 3.
niũt mutatione loci et intelligẽtia, iudicio atq; sensu, animo cernere & sapere quasi quiddam sentire uidetur esse: his enim duob. res animus iudicat atq; cognoscit. ut ueteres quidẽ intelligere ac sapere idẽ esse dicunt, id quod Empedocles his uersibus indicat:

Sẽp enim ad præsẽs hominũ sapiẽtia crescit. Et alibi,

Hinc ipsos diuersa docet sapientia semper.

Idem etiam illi Homeri significant:

Talis enim cunctis ratio mortalibus hæret.
Quam uult quotidie esse parẽs hominumq; deũmq;.

Hi enim omnes ut sensum, sic mentem ad corpus pertinere existimant: remq; similem è simili sensu percipi atque sentiri: id quod etiam initio huius disputationis explanauimus. Atqui æquum erat, simul eos de errore etiam disputare. Magis enim animantia attingit, & diutius in eo animus uersatur. Itaq; necesse est, aut id quod nonnulli sentiunt, ea omnia uera esse quæ uideantur: aut errorem rei esse dissimilis perceptionem.

ceptionem. Hoc enim contrarium illi est, id quod simile sit à simili cognosci. Videturq; error & scientia eadem esse contrariorum. Ac sensu quidem percipere, et intelligere, nõ idem esse, hinc perspici potest: quòd cum illius omnes animantes sint participes, hoc tamẽ in paucis reperiatur. Neque uerò intelligere, in quo & rectè & non rectè dicatur (rectè enim scientia, prudentia & opinio uera est: non rectè, eorum contraria) non inquam hoc ipsum intelligere, idem est, quod sensu percipere. Sensus enim semper uerus est eorum quæ eius sunt iudicij, & omnibus hominibus datus est. Sub ratiocinationem autem falsum etiam cadere potest, nec ea ulli nisi cui ratio, conuenit. uisio enim cum à sensu & ratione differat, tamen nec sine sensu existere potest, nec sine hac ipsa, opinio. Non esse autem idem uisionem & opinionem, hinc intelligitur, quòd uisio est in nostra potestate cum uolumus: eam enim possumus ob oculos ponere, id quod faciunt ij q memoriæ causa quædam sibi simulacra et imagines effingunt. opinio autem in nobis sita nõ est: quippe cum necesse sit nos aut falsum, aut uerum dicere. Præterea cum de re aliqua graui & terribili, aut etiam forti sententiam dicimus, statim afficimur. In uisione autẽ ita affecti sumus, ut ij solent qui in pictura res horribiles audaciæq; plenas cernunt. Existimationis etiam ipsius differentiæ sunt scientia, opinio, & prudentia, eorumq; contraria, de quorum distinctione alio loco dicemus. De ea aũt parte animi qua intelligimus, quoniam à sensu differt: cuius una pars imaginum quæ nobis offeruntur uidetur esse, altera existimationis: ita

de altera

de altera dicendū erit, si de ea qua res ipsas fingimus, dixerimus. Si pars animi, qua aliquid fingimus, ea est qua aliquid nobis uisum incidisse dicimus, & nō cum aliquid per translationem dicimus: profectò una uis est aut habitus sensus, opinionis, intelligētiæ atq; scientiæ, quo iudicamus, uerumq; aut falsum enunciamus. Ac uisionem quidem sensum non esse, hinc primùm intelligitur, quòd cum sensus uel habitus & facultas sit, uel eius usus & actio: ueluti aspectus, eiusq; munus, tamen aliquid nobis uidetur, cum neutrū horum sit: quo in genere ea sunt omnia quæ in somnis uidentur. Deinde ex hoc etiam, quòd sensus semper adest, uisio non semper. Quòd si idem esset quod actio, eadem omnibus animantibus uisio inesse posset: quod nō uidetur, ueluti formicæ, api, aut uermi. Præterea sensus semper uerus est: uisiones aūt plerūq; falsæ sunt. Iam uerò cum acriter accurateq; in rebus quæ sub sensum cadunt occupati sumus, non solemus dicere, id quod uideamus, nobis hominem uideri: sed magis cum non perspicuè euidenterq; sensu percipimus, tumq; uel uerus uel falsus est. Et quod iam antea diximus, uisa dormientibus uidentur. Nec uerò alterutrum eorum quæ semper uerum enunciant, qualis est scientia, & intelligētia, esse ullo modo potest. Est enim etiam falsa uisio. Restat ergo uidere, sit´ne opinio. Opinio quidem & uera & falsa est: sed opinionem fides sequitur. neque enim fieri potest, ut is qui opinatur, ea quæ ei uideantur non approbet. Bestiarum autem nulli fides conuenit, pleriſq; autem fingendi facultas. Præterea cum omnem opinionem fides sequatur, fidem autem persuasio, quam

sio, quam ratio parit: & in pleraſq; beſtias uiſio cadat, ratio non cadat: certè uiſio nec opinio cum ſenſu erit, nec per ſenſum hauſta, nec opinionis ſenſusq; coniunctio. Ex quibus illud etiã perſpicuum eſt, eam non eſſe aliam opinionem, niſi illius, cuius et ſenſus habeatur: ueluti ex rei albæ opinione atq; ſenſu coniunctio, uiſio eſt. Neq; enim ex opinione qua aliquid bonũ eſſe dicitur, et ex ſenſu quo idem album eſſe percipitur, cõiunctio, uiſio eſſe ullo modo poteſt. Videri ergo idem eſt quod exiſtimare: id quod ſenſu percipias, non per aliud, nec impropriè. Videntur autem etiam falſa, de quibus uera habetur ſententia: ut ſol pedalis uidetur, ſed ſententia et approbatio eſt eum maiorẽ eſſe terra. fit ergo, ut uel ille ſententiam ſuam quæ uera erat, re ſalua nõ oblitus, nec de ſententia deiectus amittat: uel ſi etiam in ea ſit, uera ſit & falſa neceſſariò. At in falſum cõuerſa eſt, cum mutata res lateret. Non igitur quicquam eorũ eſt, nec ex his uiſio. Sed quoniam fieri poteſt, ut cum hoc pulſum eſt, alterũ ab eo pellatur: & uiſio quidã pulſus ac motus quidã uidetur eſſe, nec ſine ſenſu exiſtere: uerum in ſentientibus, & quorum ſenſus eſt: fieriq; etiam poteſt, ut motus atq; pulſus ab uſu ſenſus afferatur, eumq; motum neceſſe eſt ſenſum imitari: certè uiſio motus erit, qui nec ſine ſenſu cõſtare, nec in ijs quæ non ſentiunt, ineſſe poteſt: multaq; per eam & facere poteſt, et pati, id in quo ipſa ineſt: eamq; ipſa uim habet, ut & uera & falſa eſſe poßit. Idq; fit propterea, quòd ſenſus primùm eorum quorũ propriũ eius eſt indiciũ, uerus eſt, uel quàm minimum falſitatis habet. deinde in eam qua hæc ipſa inſunt uer

ſatur,

fatur, & in his iam falsi locus esse potest. Neq; enim in eo fallitur sensus, quòd candorẽ esse enũciat: sed in eo, quòd hoc uel aliquid aliud album esse indicat, decipitur. Postremò in ipsis quæ communia sunt, & accidentia sequuntur, in quibus propria reperiuntur: quo in genere sunt motus et magnitudo, quæ rebus sensum mouentibus conueniunt: atq; in his sensus errare potest maximè. Sed inter motum eum qui ab usu actioneq; sensus gignitur, & sensum qui ab his tribus sensibus oritur, hoc interest: quòd primus quidẽ præsente sensu uerus est, reliqui duo & præsente et absente falsi: maximeq; si id quod sensui subijcitur, procul absit. Quòd si ea quæ cõmemorata sunt, nihil aliud habent nisi uisionem, idq; est quod dixi: certè uisio erit motus & pulsus, quo animus à sensu, qui suo munere fungitur, agitatur. Quoniam autem aspectus maxime sensus nomine appellatur & est, pleraq; interdum sensibus animantes conantur & faciunt: aliæ, quod mentis expertes sint, ut bestiæ: aliæ, ut homines, quòd mẽs in eis interdum uel perturbatione, uel morbo, uel somno impedita et obscurata sit. Ac de uisione quidẽ qd sit, & quæ eius sit causa, dictum sit hactenus.

Pars autem ea animi, qua cognoscit & sapit, siue se parabilis sit, siue etiam non separabilis reipsa, sed sola ratione, quam differentiam habeat, & quemadmodum mentis cognitio fiat, uidendum est. Si intelligere est sentire, aut quiddã accipere, pati erit à re quæ sub intelligentiã cadit, aut aliquid aliud eiusdẽ generis. Impatibilis ergo sit mẽs necesse est, eãq; uim habeat, ut et species rerũ recipere et talis esse, nõ speciesCap. 4.

esse

esse posit: quamq; rationem habet ad res quæ sensum mouent, ea pars animi quæ sensus est particeps, eandē ad ea quæ intelligentia cernuntur, ipsa habeat. Sit igitur necesse est, quoniam omnia intelligit, omnis concretionis & admixtionis expers, quemadmodum ait Anaxagoras, ut teneat, id est ut notiones rerum percipiat. Quod enim alienum est, id omne prohibet & obsistit, si in propinquo existat atque uideatur. ex quo efficitur, nullam esse eius naturam aliam, nisi eam quæ uim intelligēdi habere dicitur. Mens ergo animi quæ uocatur (mentem autem appello eam, qua ratiocinatur & sentit animus) nihil est reipsa eorum quæ sunt, priusquàm intelligat. Itaque consentaneū est, eam non mixtam nec concretam esse cum corpore. Afficeretur enim calore, & frigore: aut etiam ei instrumentum quoddam esset, ut est ei parti qua sentimus. Nunc autem nullum horum est. Ac rectè quidem sentiūt ij, qui animum imaginum locum ac sedem esse dicunt: nisi quòd non est in toto animo earum sedes, sed in ea eius parte quæ est mentis & rationis particeps: neque id re ipsa, sed eam solum uim habet, ut species & imagines recipiat. Vacuitatem autem affectionis & perturbationis non esse similem, sed aliam eius partis quæ sensus, & aliam illius quæ rationis est particeps, ex sedibus sensus & ipso sensu perspici potest. Sensus enim fungi munere suo nō potest, cū res quæ uehemēter sensum mouet, ueluti magnus sonus color et odor incidit, cum mēs ipsa, si quid intelligentia complectatur, quòd magnas habeat in cogitando & intelligendo difficultates, nihilo minus, imò uerò acrius ac melius cætera intue-

intueri soleat. ea enim pars quæ sensus est, immersa est & permixta cũ corpore, mẽs uerò ab illo secreta & segregata. Cumq; ita in singulis reb. uersatur, ut artifex is qui scientiæ usum adhibet, dicitur, quod tum denicq; fit, cũ per se ipsa munus suũ exequi potest: uiget etiam tũ illius quodammodo uis recipiendi: non tamẽ æquè, ac antequã didicisset, aut inuenisset, atq; se ipsa tum intelligentia potest cernere. Quoniam aũt aliud est magnitudo, aliud magnitudinis natura: et aliud aquã, aliud aquæ natura & ratio, itemq; in plerisque alijs, non tamẽ in omnibus (in nõnullis enim, ut in carne, idem est caro & natura carnis) aut alia parte, aut certè eadẽ, sed aliter affecta mens iudicat. Caro enim sine materia constare non potest, sed non aliter atque id quod simis est naribus, in hoc tali corpore inest. Ac ea quidem parte quæ sensus est particeps, calida & frigida internoscit, eaq; omnia quorum caro ratio est quædam. Alia autem parte, uel re distincta, uel quæ eam ad se rationem habet quam inflexa linea ad se habet, cum recta & contenta est, carnis etiam naturam rationemq; dijudicat. Præterea, si eorum quæ abstractione constant, rectum est, ut id quod simis est naribus (est enim in cohærente natura) natura aũt et ratio rectæ rei aliud est, aliud id quod rectũ est (sint exẽpli gratia duo) certè illã rationẽ alia parte, aut certè aliter affecta dijudicat. Vt ergo sunt res separatæ secretæq; à materia: sic eæ planè in quibus mens ipsa uersatur. Quæri aũt hoc loco potest, si mens quiddam simplex & impatibile est, nec ullam habet, ut Anaxagoræ placet, cum alio societatem & commercium, qui

tandem fieri posit, ut intelligat, cum intelligere sit aliquid pati, & quasi accipere? Qua enim ex parte quiddam commune utrique est, partim facere, partim pati & accipere uidetur. Præterea posit ne ipse etiam intelligentia cerni, quæstio est. Aut enim in alijs etiam mẽs reperietur, nisi ipsa per aliud intelligatur, si unius alicuius speciei sit id omne quod intelligentia cõprehenditur: aut aliquid habebit admixtum, quod faciet, ut ipsa, quemadmodum & cætera ratione intelligatur: aut pati quidem antea ex communi quadã re diuisum est, cũ diceremus, mentem ea esse quodam modo quæ sub intelligentiam cadere possent, cum reuera nullum ipsa eorũ esset, prius quàm intelligeret: hoc aũt non aliter intelligi debet, atq; in tabula fit, in qua nihil reipsa depictum est. Id quod in mente fit, eadem etiam ratione & intelligentia cernitur, quemadmodum ea quæ sub intelligentiã cadunt: præsertim cũ in ijs quæ materiæ & corporis expertia sunt, idem sit et quod intelligit, & quod intelligitur. Scientia enim & ars quæ in rerũ contemplatione cernitur, & id quod ei propositum est, eadem sunt. Sed causa inuestiganda est, cur non semper mens nostra intelligat: in ijs autem quæ corporea sunt, unumquodq; eorũ quæ intelligentia continentur, solum potest intelligi: ex quo fit ut in illis mens non insit, propterea quod sine materia mens hæc talia recipere potest, ipsa autem sub intelligentiam cadit.

Cap. 5. Quoniam autem in omni natura est aliquid, quod materiæ locum in quoq; genere obtinet, quod ipsum cætera omnia esse possit: aliud uerò causa est, & uim efficiendi

efficiendi habet, eo ipso quòd omnia efficiat, quam quidem rationem ad materiam ars habet: necesse est etiam in animo has ipsas reperiri distinctiones, in quo est mens eiusmodi, quæ fiat omnia: altera, quæ faciat, quasi habitus quidam instar luminis, quod quidem facit quodammodo, ut colores qui cerni possunt re ipsa cernantur. Atque hæc quidem mens separata est, non permixta cum corpore, & impatibilis, cum agat natura sua. Semper enim id quod facit, ei quod patitur, & principium materiæ anteponendum est. idemq; ualet ars quæ ex usu spectatur, quod res quæ illi proposita est: ea uerò quæ ex ui & habitu ponderatur, antiquior est in uno temporis ordine. Imò uerò ne temporis quidē ordine planè antiquior est: nec uerò modo intelligit, modò non intelligit. Separabilis autem hæc una est natura sua & quicquid ipsa est, eaq; sola immortalis æternaq; est. Post mortē uerò non est in nobis ullus memoriæ locus, propterea quòd sit impatibilis, nihilq; accipere possit. Mens uerò ea quæ uim patiendi & quasi accipiendi habet, interit, nec sine hac quicquam intelligit.

Ac eorum quidem uerborū quæ simplicia sunt, in- Cap. 6.
telligentia in ijs inest, in quibus falsitas non uersatur, In quibus aūt uerum & falsum uersatur, notionum est iam mentis quædā quasi unū sint coniunctio: & quē admodum Empedocles ait, hinc primùm quidem capita sine ceruice extitisse, deinde amicitia conglutinarī cœpisse: sic hæc ipsa cū disiuncta sunt componuntur, ut media linea & id quod aptè componi non potest. Quòd si præterita & futura cognoscat, tum tempus

præterea intelligit, atq; coniungit. Falsum enim semper in coniũctiõe et collocatione perspicitur. Si enim album esse enunciet id quod album non est, non esse album copulauit. Et quanquam fieri potest, ut enunciando disiungat omnia: tamẽ non hoc solũ falsum est aut uerũ, Cleon albus est: sed hoc etiam, erat aut erit Mens aũt est, quæ unumquodq; coniungit et copulat Quoniam autẽ duobus modis id dicitur, quod diuidi nõ potest: uel quod eam uim habeat ut diuidi possit uel ut reipsa diuidatur, nihil prohibet intelligi id quod diuidi non potest, cũ longitudo intelligitur: præsertim cum eã uim habeat, ut reipsa non diuidatur, & in tempore quod diuidi nequeat. Eodẽ enim modo tempus quo longitudo, et diuidi et nõ diuidi potest. Nõ igitur explicari commemorari q; potest, in medio tempori spacio quid utroq; intelligatur. Si enim non diuidatur non est, nisi quòd diuidi & distingui potest. Cum aũ separatim dimidiã partẽ utranq; intelligentia complectitur, simul etiã tẽpus diuidit et distinguit: sed tũ ut longitudines. Si uerò ut ex utraque dimidia parte constitem longitudinẽ percipiat, hoc etiam faciet in tempore quod in utraq; dimidia notionum parte comsumitur. Quod aũt non quetitate diuidi potest, sed specie id mens nostra in tempore quod diuidi nequit, atq; adeò puncto temporis consequitur, & simplici animi perceptione. Idq; facit per aliud, non quatenus illa diuidi possunt, sed quatenus non possunt: tũ id quod ipsa intelligit, tum tempus in quo intelligit. Est enim in his quoq; aliquid quod diuidi non potest, sed fortasse non separabile est id quod unũ tempus unamq; longi-

tudinem

tudinem efficit: idq; eodē modo & in omni natura cohærente, & in tempore & longitudine cōtingit: punctum uerò omnisq; diuisio, atq; id quod ita diuidi non potest, declaratur ut priuatio: eadem´que est ratio cæterorum: ut quo tandē modo malū & id quod nigrū est, percipit. Ex contrario enim quodā modo cognoscit: quod aūt cognoscit, adeò eam uim habere, ut possit cognoscere, & unum in eo esse, debet. Quòd si cui causæ nō est contrariū, id se ipsum nouit, et reipsa est, & separabile. Est autem enunciatio quæ aliquid de aliquo enunciat, ut affirmatio: et omnis uel uera uel falsa est. Intelligentia uerò nō omnis uera est, sed ea demum quærei quæ definiatur definitionē atribuat, nō quæ aliquid de aliquo enūciet. Et quemadmodū aspectus eius rei quæ propriè ei subijcitur, uerus est: si uerò homo sit, uel non sit albus, hoc non semper uerum est: sic est in ijs quæ materia carent.

Scientia autem quæ ad actionem usumq; refertur, Cap.
idē quod res quæ ei proposita est ualet: ea uerò quæ in habitu solum posita est, ordine quidē temporis in uno antiquior est, omnino uerò ne temporis quidem ordine. Ex eo enim quod reipsa est in natura rerum, existunt quæ gignuntur omnia, uideturq; id quod suo sensum cadit facere, ut ea pars animi quæ sensus est particeps, reipsa sentiat: cum antea eā tantūuim haberet, ut sentire posset, præsertim cū nec patātur nec immutetur. Itaq; aliud hoc mouendi genus est. Motus enim rei imperfectæ actione, ea autem quæ absolutè cuiq; tribuitur. Ac sensus quidē perceptio, enunciatio intelligentiamq;

gentiamq; tantum imitatur. Cum uerò aliquid uoluptatẽ afferre aut dolorem affirmat aut negat, tũ appetit aut fugit: estq; uoluptate affici, aut dolere, nihil aliud, nisi partẽ eam animi quæ sensus est particeps, ad bonum aut malũ, aut alia eiusdẽ generis adhibere & conuertere, in quo quidẽ & declinationis & appetitionis usus cernitur. Nec uerò aliud est pars ea in quæ appetitus insunt, aliud ea quæ uim habet declinandi quod malum est: nec uerò hæ ab ea distinguũtur, quæ sensus est particeps, sed earũ alia ratio est. In ea autem parte animi, quæ cõsilij est et rationis, uisa quasi sensa insunt, quæ eadẽ cũ bonũ aut malũ aliquid esse ait aut negat, tũ refugit, aut sequitur. Itaq; nunquã animus sine uisis intelligit. Vt aũt aer pupillã afficit, & hæc aliud, sic auditus: extremũ aũt unũ est, unũq; mediũ, sed eius plures rationes sunt. Qua autẽ parte dijudicet, quid inter dulcia & calida interſit, dictum est quidẽ etiam antea, sed tamen dicendũ est etiã hoc modo. Est enim quiddã, quod etiã termini et extremilocũ et uim obtinet, atq; hoc proportione ac numero continetur: eodẽq; modo ad utrunq; affectũ est, quo illa inter se affecta sunt. Quid enim attinet ambigere, quónã pacto ea quæ eiusdem generis sunt, iudicet, aut contaria: ut id quod albũ est & nigrũ. sit igitur, ut a id quod albũ est, affectũ est ad b, quod nigrũ est: sic c ad d, eandem habeat rationẽ, quã illa inter se habent. Ita etiã uicissim retro cõmeu. Si ergo c, d, uni conueniãt, eandem [illegible]ẽ, qua etiã a, b, habebunt. Ac idẽ quidẽ sunt et unũ: [illegible] aũt eorũ eadẽ ratio est, sic illud eodẽ modo. Eademq; [illegible]tio est. A, sit id quod dulce est: et b, id quod

quod albũ: ac ſpecies quidẽ ea pars animi quæ ratiõis eſt, ex uiſis intelligit, & ſimulatq; in illis ei aliquid appetendum aut declinãdum proponitur, etiam cum ſine ſenſu uiſa ei obijciuntur, mouetur ac impellitur: ut ſenſu percipiens ſignum facibus datum ignem eſſe, cõmuni ſenſu cũ cernit ſe mouentẽ, hoſtẽ eſſe cognoſcit. Nonnunquã uerò cũ animo uiſa quæ in ipſo ſunt, uel notiones offerũtur, tanquã cernens, ratione ac cõſilio res futuras cũ præſentibus connectit, & cũ aliquid iucundũ aut moleſtũ eſſe ſtatuerit, tũ denique refugit, aut ſequitur, atq; hæc omnino in actione uerſantur. Quæ aũt agenda non ſunt, et falſum & uerũ, in eodẽ quidẽ quo bonum & malũ, genere conſiſtunt: ſed tamen illo omnino ac ſimpliciter, & aliqua ex parte differunt. Quæ uerò à materia omnino ſeparantur, & quaſi abſtrahuntur, ea cõprehendit nõ aliter, ac ſi id quod ſimis depreßisq; eſt naribus, intelligẽtia cõplecteretur. quod quidẽ qua ex parte depreßis eſt naribus, non ſeparatim: qua autem ex parte concauis eſt, ſi quid reipſa intelligeret, id ipſum quatenus concauum eſt ſine carne in qua cõcauitas eſt intelligeret. Ita res quæ Mathematicis propoſitæ ſunt, cum ſeparatæ non ſint, ut ſe iunctas abſtractasq; à materia, cum illas intelligentia comprehendit, intelligit. Omninoq; mens eſt res ipſæ, cum munere intelligendi fungitur. Vtrum autem fieri poßit, ut aliquid eorum quæ ſeparata ſunt, percipiat & intelligat, cum ipſa non ſit ſeparatum à magnitudine, nec ne, poſt conſiderandum erit.

Nunc uerò ea quæ de animo diximus, paucis cõplectentes, hoc rurſus ſtatuimus, animũ eſſe quodã modo Cap. 8

omnia. Omnia enim quæ sunt, aut sensum mouent, aut ratione cernuntur. Est autem scientia quodam modo res, quæ arte comprehenduntur, & sensus ea quæ sub sensum cadunt: quod quemadmodum fiat, quærendum est. Diuiduntur quidem in res scientia & sensus, ita tamen, ut ea quæ habitu solo cernitur, in res eas in quibus uersari potest, diuidatur: ea uerò quæ ad usum & actionem adhibetur, in eas etiam in quibus reipsa occupata est. Animi autem pars & ea quæ sensus, & ea quæ scientiæ atq; artis est, in his uersari potest, in re quæ sciẽtia & arte cõprehenditur, & in ea quæ sub sensum cadit. Atqui necesse est aut res ipsas inesse in animo, aut certè earum species ac imagines. Non ipsæ quidem certè. Neque enim lapis in animo inest, sed eius species. Itaque animus est instar manus. Vt enim manus instrumentum est instrumentorum, sic mens simulacrum simulacrorum est, & sensus simulacrum corũ quæ sensum mouent. Quoniam autem res nulla est, quæ à magnitudinibus, ut res quæ sub sensum cadunt, uidetur, seiuncta atq; separata sit: certè in formis & simulacris quæ sensibus subijciantur, ea quæ animo ac ratione cernuntur, insint necesse est, tam ea quæ detractione esse dicuntur, quàm ea quæ sensum mouent, habitus & affectiones. Ob eamq; causam si quis nihil omnino sensu percipiat, is nec discere, nec intelligere ullo modo potest. Cum uerò aliquid animo considerat & intuetur, is simul uisis necesse est impulsus sit ad considerandum: uisa enim sunt quasi sensa quædam, nisi quòd materiæ sunt expertia. Visio autem affirmatione & negatione differt:

uerum

uerum enim aut falsum in notitiarũ coniunctione cernitur. Primæ autẽ animi notiones, quid impediet quominus uisiones sint? An ne hæ quidem uisiones sunt, etsi non sine uisis possint existere?

Cap. 9.

Quoniã autem animas is ex quo animãtes constãt, ex duplici ui ac facultate definitus est, quarum altera est uis iudicandi, quod rationis et sensus munus est: altera etiam, qua mouentur loco: de sensu quidem ac mente dictum sit hactenus: de eo autem quod motũ affert, quid tandem sit animi, uidendum est, utrum aliqua eius pars quæ sæparata sit, & distincta uel magnitudine, uel oratione, an etiã totus animus. Et si pars est aliqua, utrum propria quædã præter eas quæ dici nominariq; solent, & eas quas enumerauimus, an una harum quædam. Hoc etiam statim dubitationẽ affert, quemadmodum appellari partes animi debeant, quot que sint. Quodam enim modo innumerabiles sunt, nec eæ solum sunt quas nonnulli tradunt, aliam esse rationis, aliã in qua irarum ardor existit, tertiam quæ uoluptate alatur: alij uerò eas ita partiuntur, ut aliam esse dicant quæ rationem habeat, aliam quæ eius expers sit. Ex generib. enim in quæ isti eas tradũt diuidi, aliæ etiam partes existunt, quæ maiorem quàm hæ ipsæ, dissimilitudinem habent: de quibus paulo antè dictum est, ut ea quæ alendi uim habet, quæ in ijs etiam quæ terra gignit, inest, omnibusq; animantibus: & ea quæ sensus est, quam nemo facile ut rationis participem & eius expertem statuerit. ea præterea in quæ uisa imprimuntur, quæ quidem cum ab omnibus ratione & cogitatione differat, tamen quænam sit pars

quæ aut idem quod illa ualeat, aut ab eadem diuersa sit, magnam habet dubitationem, si quis animi partes distingui separariq; ponat: alia etiam est, in qua cupiditates insunt, quæ & ratione & facultate à cæteris differre uideatur. Et certè alienum est & absurdum hanc diuellere, præsertim cum in ea parte quæ rationis est, uoluntas insit: et in ea quæ rationis est expers, appetitus & ira. Quòd si his tribus animus contineatur, profectò in unoquoq; cupiditas erit. Quod autē hoc tempore quærimus, id est, quid sit, quod loco animal moueat. Nam & motū eū qui generationis, et eū qui imminutionis est, qui in omnes animantes conueniunt, gignendi & alendi uim habens pars, quæ in omnibus inest, afferre uideatur. De respiratione autem et expiratione, somnoq; & uigilandi labore, pòst differendum erit. Habent enim hæc quoq; dubitationem. Sed nunc quid sit quod faciat ut animantes ingrediantur, & moueantur loco, uidendum est. Ac nō esse partem eam, cuius opus in alendo est, hinc perspici licet, quòd semper alicuius causa hic motus adhibetur, & uel cum uisione, uel cum cupiditate coniunctus est: nihil enim quod non appetit, aut fugit, mouetur, nisi uis afferatur. Ea etiam quæ oriuntur è terra, moueri loco possent, haberéntque aliquam partem, quæ in hoc ciendo motu instrumenti locum obtineret. Nec uerò pars illa est quæ sensus est particeps: quippe cum pleræque sint animantes, quæ cum sensum habeant, fixæ manent semper, nec mouentur loco. Quòd si nihil natura sine causa facit, nec in necessarijs rebus deest, nisi ijs animantibus quæ debilia, aut imperfectis et inchoatis, &

tis: & animantes huius generis perfectæ sunt suis partibus omnibus, nec debilia & manca: idq; ex eo intelligi potest, quòd procreandi uim habent, ad statumq; & senectutem ueniunt: certè partes etiam ingressus proprias habeant necesse est. Neq; uerò ea etiam pars quæ est rationis & consilij, nec mens ipsa motum illũ affert. Ea enim cuius omne opus et munus in cognoscendo est, nihil quod sit agendum intelligit, nec quicquam de eo quod fugiendum est, expetendumq; præscribit, cum motus semper sit fugientis quid, aut expetentis. Nec uerò cum aliquid tale considerat, tum id fugiendum aut expetendum esse præscribit: ueluti sæpe aliquid iucundum aut terribile esse reputat, sed declinari oportere non iubet, cor autem commouetur: si uerò iucundum sit, alia est pars quædam. Præterea si mens præscribat, ratioq; iubeat aliquid fugiendum esse, aut expetendum, non mouetur, sed cupiditate ducitur ad agẽdum, ut solent impotentes. Quinetiam illud animaduertimus, eum qui medicina præditus sit cum æger est, minimè curari, quòd in altero quodã situm sit, ut ex arte faciat, non in arte ipsa. Sed ne appetitus quidẽ in hoc motu dominatur, præsertim cum cõtinentes cupiditatibus incitati & inflammati, non ea faciant quorum cupiditate ducantur, sed menti rationiq; obtemperant.

Duo autem hæc, aut appetitus, aut mens, motũ affere uidentur, si quis uisionem ut animi notitiam quandam statuat. Multa enim animantia contempta aut prætermissa eorum quæ agenda sunt, cognitione, uisis ad agendum impelluntur. Et in alijs animantibus, nec Cap. 10.

tibus, nec intelligentia ineſt, nec ratio, ſed ſola uiſio. Hæc igitur duo, mens & appetitus, cauſa ſunt cur animantes loco moueãtur: ſed mentem eam intelligimus, quæ alicuius rei gratia ratiocinatur, & in rerũ actione uerſatur: quæ eadem ab ea cuius omne opus in contemplando eſt, eo fine quem ſibi habet propoſitum, differt. Atq; etiam finem ſibi propoſitum habet omnis appetitus. Cuius enim eſt, & in quo uerſatur hæc appetitio, ab eo agendi principium ducit mens ea, quæ in actione cernitur. Vltimum autem agendi principiũ eſt. Quocirca rectè hæc duo, appetitus, & mens, quæ in actioue uerſatur, mouere loco uidentur. Nam cum ea pars in qua ineſt appetitus, moueat & impellat, mens etiam ob eam cauſam mouet, quòd ea pars in qua appetitus uerſatur, ei det cauſam & principium mouẽdi. Viſa autem cum mouent, non mouent ſine appetitu. Quod ergo appetitum mouet, id primò impellit. Si enim hæc duo mens & appetitus mouerent, profectò communi quodam genere mouerent. Nunc uerò mens ipſa nec ſine appetitu mouere uidetur: uoluntas enim quædam eſt appetitus, & cum ratione duce mouetur & pellitur, motus etiã ille uoluntarius eſt. appetitus autẽ cum mouet, non in eo rationem ducem ſequitur: cupiditas enim appetitus eſt quidam. Ac mens quidẽ omnis recta eſt: appetitio autẽ ac uiſio tum recta eſt, tum non recta. Itaq; id mouet ſemper, quod appetendum eſt. idq; ipſum uel bonum eſt, uel quod bonum uidetur: nec omne bonum, ſed quod agẽdum eſt. Agendum porrò bonum eſt id, quod ſecus etiã cadere poteſt. Illud ergo perſpicuum eſt, eam uim animi quæ

appetitus

appetitus dicitur, mouere. Eorum autem sentẽtia, qui animum in partes tribuunt, si eum in facultates diuidant, permultæ erunt: ut alendi, sentiendi, appetendi, intelligendi, & deliberandi. plus enim inter has inter est, quam inter eam partem in qua insunt cupiditates, & eam in qua irarum existit ardor. Quoniam autem appetitiones inter se contrariæ sunt, quod tum denique accidit, cum ratio & cupiditas discrepant, in ijs quæ sensum temporis habent, cum mens propter futurum tẽpus præscribit obsistendũ esse, contrà cupiditas præsentem uoluptatẽ cõsectatur (præsens enim uoluptas, tum planè uoluptas, tum planè atq; omnino bonũ uidetur) propterea quòd futuri ratio minimè ab ea habeatur: profectò genere quidẽ unũ est quod mouet, cuiusmodi est ea pars in qua appetitus insunt, quatenus talis est: quod autẽ sub appetitũ cadit, id est, unde primũ mouendi et agẽdi principiũ proficiscitur: quoniã cũ menti species eius obiecta est, mouet, nec mouetur: numero autem plura sunt, quæ motum afferunt. Quoniamq; tria sunt, quorum unum quod mouet, alterum id quo illud in mouendo utitur, tertiũ id quod mouetur: quoniamq; id quod mouet duplex est, quorum unum immobile est, alterum mouet & mouetur: bonũ quidem quod agendum est, immobile permanet: pars autem animi in qua insunt appetitus, partim mouet, partim mouetur. quod enim expetit, qua ex parte expetit mouetur, & appetitionis usus quidã motus est: animal autem est id quod mouetur, appetitus id quo tanquam instrumento mouet & impellit, quod totum iam ad corpus pertinet. Itaq; hoc ipsum in ijs actionibus quæ

bus quæ corporis & animi communes sunt, considerandum est. Nunc uerò ut summatim dicam, id quod tanquam instrumentum mouet, ibi esse debet, ubi & principium & finis agendi idem est: ut in cardine in quo conuexa quædam pars est, altera concaua: quarum una finis est, altera principium. Itaq; altera quiescit, altera mouetur: quæ cum ratione & cogitatione differãt, tamẽ re ac magnitudine separari nequeũt. Omnia enim pulsu et tractu agitantur. Quocirca quẽadmodum in circulo, sic hic manere aliquid, & inde motus incipere debet. Animal igitur, ut dictum est, eo ipso planè se commouet, quod appetit: appetit autem non sine uisione. uisio porrò omnis, uel rationis est, uel sensus particeps, cuius quidem cæteræ etiam animantes sunt participes.

Cap. 11. Sed de imperfectis bestijs, in quibus tangendi sensus tantum reperitur, quid sit quod eas ad agendum impellat, uidendum est, utrum in ijs uisio & appetitus inesse nec ne possit. Nam cum in eis dolorem & uoluptatem inesse constet, profectò si hæc ipsa insunt, appetitus etiam insit necesse est. Visio igitur quodammodo etiam inerit, uel certè quemadmodum etiam incerto motu agitantur: sic in eis hæc insunt ipsa quidem, sed incerto quodam modò. Ac uisio quidem quæ sensum attingit, in alijs etiam animalibus, ut dixi, reperitur. Ea autem quæ consilij est, in ijs quæ ratione utuntur. Vtrum enim hoc an illud faciat, rationis & consilij iam munus & officium est: atque id necesse est uno dimetiatur, quandoquidem maius ita persequitur, ut ex una uisione plures efficere possit. Ex quo

euenit,

euenit, ut opinionem habere non uideatur: propterea quod eam non habeat, quæ ratiocinatione comparatur, cum hæc illam gignat. Itaque in cupiditate nullus consilio locus est, quæ interdum uincit, impellitq; uoluntatem, nonnunquam uerò contrà cupiditatem trahit ut orbis orbem, sic cupiditatẽ cupiditas, cum animi impotẽtia dominatur. Natura aũt semper superior præest & imperat: itaque mouet, ut tribus iam motibus agitetur. Pars autẽ animi, in qua ars inest & scientia, non mouet, sed stat immobilis. Quoniã autem opinio & oratio alia de toto genere est, alia in rebus singulis uersatur, quarũ hac sentimus hunc uel illum hoc facere oportere, alia etiam hoc esse illud, et me talem esse profectò hæc iam opinio & sententia mouet & impellit, nõ ea quæ in toto genere uersatur, aut certè utraq;, sed generalis tacita magis, alia non. Ac animũ quidem eum cuius omne opus in alẽdo est, omne id quod uiuit habeat necesse est, & quod à primo ortu ad extremum animo præditum est. Nam cum necesse sit id quod procreatum est, progressum, statũ, senectutemq; habere, quæ sine cibo existere nullo modo possunt: profectò insit necesse est animus qui alat, in ijs quæ nascantur & intereant. At uerò sensum nõ necesse est inesse in ijs omnibus, quæ uita sustinentur. Nam neque ea quorum corpus est simplex, tactum habere possunt, neque sine hoc ullũ animal existere: neq; ucrò ea omnia, quæ species materiæ expertes recipiunt. Animal aũt sensu præditum esse debet: siquidem natura nihil frustra facit. Ad finem enim, quæ natura constant, referuntur omnia: aut certè ea quæ

casu

casuae temerè eueniunt, in ijs erunt quæ alicuius cau sa eueniunt. Omnis igitur natura gradiens quæ sensus est expers, intereat necesse est: nec unquam ad ultimũ peruenire poterit, quod naturæ munus est. Quo enim pacto aletur? Nam cum in ijs quæ permanent, nec mo uentur loco, id insit natura: tamen fieri non potest ut sit corpus, quod animo, menteq; quæ dijudicandi uim habeat, sit præditum: nec sensum habeat, dummodo non sit firmum & stabile, idemq; procreatum sit, quã quam ne si procreatum quidem non sit. cur enim non habebit? Aut enim animo carere melius est, aut corpo ri: quorũ neutrũ uerum est. Nam nec animus melius hoc ipso intelligere potest, nec corpus ullo modo me lius ex eo habiturum est. Ex quo illud efficitur, nul lum corpus animo sine sensu esse præditum. Atqui si sensum habeat, necesse erit illud corpus aut simplex, aut concretum esse. Simplex autem esse non potest. Non enim tactũ habebit, quẽ habere oportet. Quod ex eo sciri potest, quia cum animal corpus sit animo præditum, et corpus omne sub tactum cadat: quod au tem sub tactũ cadit, id tactu ipso sensum moueat, pro fectò corpus animalis tangendi sensum habeat necesse est. Nam cum alij sensus alijs interiectis rebus afficiantur, ut odoratus aspectus, auditus: tamen id quod con tingitur, nisi sensum habeat, alia declinare, alia sequi et approbare non poterit. Cui si locus sit, saluum esse animal nullo modo potest. Itaq; gustatus quasi tactus est quidam. Est enim cibi: cibus autẽ corpus est quod sub tactũ cadit. præsertim cum sonus, color, & odor nec alant animantes, nec augeant, nec interimant.

Ex

Ex quo etiam intelligitur, gustatum tactum quendam esse, propterea quòd sensus sit, quo res quæ sub tactū cadunt, & quæ alunt, internoscantur. Atq; ij quidem sensus animantibus necessarij sunt: idq; ex eo perspici licet, quòd tactus expers animal esse nullo modo potest. Alij autem & ornatus causa, & generi animantium iam non cuiuis, sed cuidam, ueluti gradienti & terreno necessariò salutis causa dati sunt. Nec uerò dati sunt tantummodo, ut rem cum tactum moueret, sensu perciperēt animantes: sed etiam ut eminus, & cum procul abesset. Quod ita deniq; fit, si interuallo interiecto res sit, quæ sensu affici possit, hoc ipso quòd & ea ipsa res ab eo quod sensum mouet, & hæc ab illo afficiatur & impellatur. ut enim id quod mouet loco, ad quoddam tempus facit, ut mutetur locus, & quod aliud pellit, facit ut illud ipsum pellat: isq; motus per medium interiectum existit, & quod primò pulsat et iactat, pellit, nec pellitur: extremū uerò pellitur, neq; pellit: quod autem interiectum est, ac medium, tum pellitur, tum pellit. Multa autē media sunt sic in commutatione, nisi quòd dum in eodem loco manent, commutant. ut si quis aliquid in ceram immittat, id mouebitur ad eum finem, quoad illud tinxerit: lapis uerò nulla ex parte, aqua uerò diu. At uerò aer diutissimè pellitur, afficit & afficitur, si permaneat, unusq; sit. Itaq; melior ueriorq; sententia est eorum, qui asserūt aera à colore & figura quandiu continuatur affici: quàm eorum qui aspectum, cum in aliquam rem intentus est, postea referri confirmant. In re autem læui ac plana continuatur. Itaq; rursum etiam idem aspe-

ctum mouet, non secus ac si quis signum in cera usque ad finem infundat. Fieri autem non posse, ut animantium corpus simplex, ut igneum, uel animale sit, hinc sciri potest, quòd sublato tactu, nullum alium sensum habere possunt: corpus enim quod tractandi uim habet, omne, ut dixi, animatum est. Alia autem loca, in quibus sensus sedes est, terræ expertia esse possunt: sed tamen omnia eo ipso quod per aliud sensum percipiant, sensu afficiuntur, & per ea quæ interiecta sunt, cum tactus eo ipso sit, quòd ea tractet, ex eoq; nomen hoc habet. Atq; etiam ex hoc illud idem intelligi potest, quòd cum cæteri sensus aliarum rerum obiectu, munere suo fungantur, hic solus per se illud facere uidetur. Ex quibus efficitur, corpus animantium ex his quidem elementis constare non posse. Nec uerò è terra constare potest. Omnium enim rerum quæ tactum mouent, tactus est quasi medium quoddam: in eumq; sensum non solum omnes terræ differētiæ cadere possunt, uerùm etiam calida & frigida, cæteraq; omnia, quæ tactui subijciuntur. ob eamq; causam ossibus, capillis, alijsq; partibus eiusdem generis nullum sensum percipimus, quòd terræ naturam imitentur. Et ea omnia quæ terra gignit, nullum sensum habent, propterea quòd terreæ naturæ sint: eademq; sublato tactu, nullum alium sensum habere possunt: qui quidem sensus nec terræ, nec alius elementi naturam imitatur. Ex quo perspicuum est, necesse esse, animantia quæ hoc uno sensu careant, interire. Neq; enim in ulla natura, quæ non sit animal, hic sensus esse potest: neq; aliquid quod sit animal, ullum alium nisi hunc necessariò habere

bere debet. Ob eamq; causam alia quæ sensui subijciuntur, ut color, ut sonus, ut odor, cum maiorem quandam uim habent, non animantia, sed sensus tantum labefactant & interimunt: nisi fortè aliud accidat, uelut si unà cum sono impulsus aliquis uehemens oriatur: & à rebus quæ cernuntur, atq; ab odore alia impelluntur & agitantur, quæ ipsa tactu suo labefactant: & succus eo ipso interimit, quod una uim contingendi habet. At uerò eorum quæ sub tactum cadunt, ut caloris, frigoris, & duritiei, maior quædam uis animantia de medio tollit. Nam cum omnium eorum quæ sensus mouentia sunt, nimia quædam uis ac præstantia sensum labefactet, fit, ut ea etiam quæ sub tactum cadunt, tactum deteriorem faciant. Cumq; hoc sensu uita definita sit, propterea quòd, ut demonstratum est, fieri non possit, ut eo sublato, animal in uita maneat: fit, ut rerum quæ tactui subijciuntur, uis quædam maior non solum eius sedem, sed etiam animantia ipsa interimat, propterea quòd necesse sit animalia hunc unum habere. Cæteros autem sensus animantibus natura dedit, non eorum, quemadmodum dixi, status causa, sed ut statum suum cum dignitate tueantur: ueluti aspectum, ut in aere & aqua cernant, & præterea ut in re perlucida: gustatum, ut uoluptatem & dolorem in cibo sentiant, expetant, atq; ad eum ueniant: auditum, ut aliquid sibi ipsa significent: linguam denique, ut alteri sensa animi aperiant.

FINIS.

IOACHIMI PERIONII IN EOSDEM ARIstotelis de Animo libros Obseruationes.

IDEM tantum hoc loco instituí facere, quod in alijs nostris Obseruationibus feci, in quibus eum modum adhibui semper, ut quod alio loco à me dictum notatumq; esset, id ex eo assumendum esse indicarem: ne si bis idem dicerem, uel non satis tenere memoria, quod alias scripsissem, uel abuti ocio & literis uiderer. Itaque ut in uestigijs instituti mei hæream, hoc mihi primùm notatu dignissimum uisum est, Ἀριστοτέλους περὶ ψυχῆς τὸ Α. Aristotelis de Animo liber primus.) De uerbo ψυχῆς, in libro de Optimo genere interpretandi satis multa dixisse uideor. Sed quoniam hi libri tres Aristotelis, ab omnibus qui eos ante me è græco in latinum conuerterunt, de Anima fœmineo genere inscripti sunt, aliquid ex Cicerone, quod ad hũc locum pertineat, proferendum censui. Liber est quidam Platonis, qui φαίδων, ἢ περὶ ψυχῆς inscribitur. Ex eo Cicero in primo Tusculanarum quæstionum libro multas sententias profert: sed quodam loco sic eius inscriptionem uertit, ut ego hanc Aristotelis. Verba eius hæc sunt: Quid tibi ergo opera nostra opus est? num eloquentia Platonem superare possumus? Euolue diligenter eius eum librum, qui est de Animo, amplius quod desideres nihil erit. Eodem libro Cicero ita de animo & anima ut dissimilibus differit, ut ex eis facilè intelligi liceat, animam fœmineo genere ab eo partem alteram, ex qua constamus, nunquam uocatam fuisse: & si quibus locis eo genere legatur, ut facilis est ex utroq; uocabulo in alterum mutatio, loca esse corrupta librariorum siue negligentia, siue inscitia. Quæ omnia, quæ

sanè

ane permulta sunt, facile & animaduertere & corrigere
omnes possunt, qui Ciceronis libros soliti sunt euoluere.

In primum Caput.

1 Ἐπισκεπτέον μὲν οὖν θεωρῆσαι καὶ γνῶναι τὸ τε φύσιν αὐτοῦ καὶ τὴν οὐσίαν, εἶθ' ὅσα συμβέβηκε περὶ αὐτὸν, ὧν τὰ μὲν ἴδια πάθη τῆς ψυχῆς εἶναι δοκεῖ: Propositum est autem nobis hoc loco, primùm naturam eius & essentiam cognoscere: deinde ea omnia quæ in eum conueniunt, quorum partim sunt proprie animi affectiones.) ὅσα συμβέβηκε περὶ αὐτὸν, Aristoteles circumlocutione τὰ συμβεβηκότα dicit. Itaq; quemadmodum τὸ συμβεβηκὸς, cum sit præteriti temporis, ad præsens referimus, ita illud συμβέβηκε trāstuli. Dicimus autem in hoc genere duobus modis, Virtus tibi & in te conuenit: id est, in te cadit. ἴδια autem πάθη τῆς ψυχῆς, sunt ea quæ proprie in animum cadunt & conueniunt. πάσχειν enim nos sæpe transferri debet, aliquid accidere & usuenire. Itaq; indiserta, ne dicam, barbara eorum interpretatio est, qui ita transferunt, Hoc nunquam passus sum. ἴδια autem πάθη τῆς ψυχῆς, proprias animi passiones alij dicunt: quasi non sint in animo, nisi eæ quas uocant passiones. πάθη ergo hoc in genere ea sunt omnia, quæ in animum cadunt: sed cum ἴδια additur, separat ea quæ ei sunt cum corpore communia. Itaq; proprias animi affectiones, aut perturbationes malim dicere, aut etiã motus. Quærit enim paulo pòst, sint'ne animi πάθη κοινὰ πάντα καὶ τὰ ἔχοντα, ἢ ἔστι τι καὶ τῆς ψυχῆς ἴδιον αὐτῆς: id est, Sint' omnes affectiones & motus animo cum corpore communes, aut sit aliquis etiam animi proprius.

2 ἐὰν δὲ φανερὸν ᾖ, πότερον ἀπόδειξίς ἐστιν, ἢ διαίρεσις, ἢ καί τις ἄλλη μέθοδος: Si uerò perspicuum sit, utrum demonstratio, an diuisio, an aliqua etiam alia docendi ratio, quæstio est.) Hoc loco genera tradendi aliquid & dicendi significat, de quibus in Dialecticis nostris multa diximus.

3 ἔτι ὁ πότερον τῇ δυνάμει ὄντων, ἢ μᾶλλον ἐντελεχείᾳ τινί: Hoc etiam docendum est, sit ne in ijs quæ esse possunt, an in ijs potius, quæ re ipsa sunt.) Scriptum semper & ubiq; reperi in his libris, ἐντελέχεια per τ literam: de cuius uerbi & significatione, & interpretatione, & orthographia, secundò libro magis idoneus erit ad differendum locus. Ibi enim animus ἐντελέχεια esse definitur & dicitur.

4 εἰ ὁ τὰ ὄργα πρότερον, πάλιν αὖ τις ἀπορήσειεν, εἴτε τὰ ἀντικείμενα πρότερον τούτων ζητητέον: Si munera quæ sint, primùm quærendum est, rursus quæret aliquis, sit ne de ijs quæ his obijciuntur, antè quærendum.) τὰ ὄργα, munera & officia à Cicerone dicuntur, quas alij dicunt operationes potentiarũ animi. Hoc docui in libro de Optimo interpretãdi genere. Interdum etiam τὸ ὄργον, opus in hoc genere dicit, sed illa duo sæpius. τὰ ἀντικείμενα hoc loco ab Aristotele non ea intelliguntur, quæ in Topicis à Cicerone contraria uerti, ostendi eodem libro: sed ea quæ philosophi obiecta appellant, ut cum obiectum aspectus colorem esse dicunt. Cicero quidem hæc in neutro genere substantiuorum, quæ uocant, non dicit, sed rei uerbum solet adiungere, aut id quod, uel ea quæ obijciuntur. Academ. quæst. lib. 4. Deinde cum mens moueatur ipsa per sese, ut & ea declarant, quæ cogitatione depingimus, & ea quæ uel furiosis, uel dormientibus uidentur, non inquam uerisimile sit, sic etiam mentem moueri, ut non modò non internoscat, uera illa uisa sint, an ne falsa, sed ut in his nihil interfit omnino: ut si qui tremerent & exalbescerent, uel ipsi per se motu mentis aliquo, uel obiecta terribili re extrinsecus, nihil interesset, quâ distingueretur tremor ille & pallor. Interdum idem ualet συμβαίνειν, ut paulo infrà, μηδεμιᾶς γὰρ φοβερᾶς συμβαίνοντος, ἐν τοῖς πάθεσι γίνονται τοῖς φοβερμένοις: id est, Cum enim res nulla terribilis occurrit, in ijs perturbationibus sumus, in quibus, &c.

In se-

In secundum Caput.

5 ἀδιάποτοῦτας ἢ περὶ ψυχῆς, ἀναγκαῖον ἅμα διαπορεῖν περὶ ὧν σύνεσθαι δεῖ, προελθόντας τὰς τῶν πρότερον δόξας, συμπαραλαμβάνειν, &c. Necesse est autem eos qui de animo disputant, simul de ijs quærere, quæ suppetere debent, persequentesq; priorum sententias, eadem oratione persequi, &c.) πρότεροι in hoc genere priores, uerbum è uerbo à Cicerone dicuntur. Academic. quæst. lib. 4. Alij autem negabant se pro hac euidentia quicquam priores fuisse dicturos. ἐπισκοπεῖν περὶ ψυχῆς, dico de animo disputare & disserere, propositum & institutum esse dicere & agere de animo. σκοπὸς enim propositum dicitur, & institutum. προελθόντας in libris omnibus quos quidem legerim, inueni: & ita Argyropylus legit, cum Procedentes transtulerit. Vetus autẽ interpres παρελθόντας legit, cum Peretranseuntes, id est percurrentes uerterit. Maior etiam dubitatio incidit, quo nam idem participiũ referri oporteat, utrũ absolutè accipi debeat, ut accusandi casus, qui sequuntur, ad uerbũ συμπαραλαμβάνειν pertineant, an ad utrũq;. Mihi quidem hoc posterius magis probatur: ut sit sensus, in unum quasi locum persequendo sententias conferre.

6 ὅθεν Δημόκριτος μὲν πῦρ τι καὶ θερμὸν φησὶν αὐτὸν εἶναι, ἀπείρων μὲν ὄντων σχημάτων, καὶ ἀτόμων τὰ σφαιροειδῆ, πῦρ καὶ ψυχὴν λέγει τοιοῦτον ἐν τῷ ἀέρι τὰ καλούμενα ξύσματα, ἃ φαίνεται ἐν ταῖς διὰ θυρίδων ἀκτῖσιν: id est, Itaq; Democritus ignem quendam & calorem eum esse dicit. Cum enim numerus sit infinitus figurarum & corpusculorum quæ diuidi non possunt, ea quæ rotũda sint, ignem & animum censet esse, ut in aere ea quæ ramenta uocantur, quæ in radijs qui per fenestras introeunt, uidentur.) Cicero in primo quæstionum Tusculanarum libro, sententias omnes ueterum de animo affert ille quidem, sed ita breuiter, ut nullam eorum, cur ita senserint, rationem subijciat. Aristote-

les autem hoc in primo de Animo lib. ita eas enumerat, u rationes etiam, quibus ducti ita senserint, & afferat & refellat. Democriti sententiam ille his uerbis cõplexus est Nisi quæ me fortè fugiunt, hæ sunt ferè omnium de anim sententiæ. Democritum enim illum magnũ quidem uirum sed leuibus & rotundis corpusculis efficientem animu cõcursu quodam fortuito, omittamus. Nihil est enim apu illum, quòd non atomorum turba conficiat.

7 ὑπολαμβάνοντες πλὴν ψυχλὸν εἶναι τὸ παρέχον τοῖς ζῴοις τὴν κίνησιν : id est, Quòd existimarent animum id esse quod motum animantibus afferat.) Cicero uariandæ & ornandæ orationis causa hoc genus dicendi, παρέχειν τὴν κίνησιν ἄλλῳ, usurpat, etiam cum uerbum solum τὸ κινεῖν uel τὸ κινοῦν transfert, ueluti in primo quæstionum Tusculanarum libro, & in Somnio Scipionis, uertens illam totam orationem Platonis, quæ est in Phædro, quamq; no in nostro libro de Optimo genere interpretandi, cum Ciceronis interpretatione studiosorũ discendi causa posuimus hoc totum, τὸ δ' ἄλλο κινοῦν, sic transtulit, Quod autem m tum affert alicui. Ex quo intelligimus, non semper uerbu è uerbo esse exprimendum. παρέχειν hoc loco si dicas præbere, aut præstare, non rectè facias. Si uerò δύναται παρέχειν, præbere aut præstare beneuolentiam dixeris, rectè. Sic enim Cicero dixit, cõuertens locum Demosthenis παρασχεῖν, in oratione posteriore in Rullum.

8 Τῶν δ' ὑστεροτέρων καὶ ὕδωρ τινὲς ἀπεφήναντο, καθάπερ ἵππων : Eorum uerò qui paulo importuniores sunt, nonnulli aquam etiam eum esse dixerunt, ut Hippo.) Cicero in primo quæstionum Tusculanarum libro, loquens de eorum sententia, qui animum aerà esse dicunt, non aera dicit, sed animam. Si, inquit, anima est, fortasse dißipabitur: si ignis, extinguetur: si est Aristoxeni harmonia, dissolue tur. Et paulo antè : Sed hæc quidem quæ dixi, cerebrum, animam,

animam, ignem. Cum autem Cicero aera dicit animam, πνεῦμα uertit, non aeris uocabulum. Itaq; πνευματικὸν & animalem & spirabilem dicit. Eodem libro: Quæ cum constent, perspicuum debet esse, animos cum è corpore excesserint, siue illi sint animales, id est, spirabiles, siue ignei, in sublime ferri. Hoc planius dicit in secundo de Natura deorum libro: Principiò enim terra sita in media parte mundi, circunfusa undiq; est hac animali spirabiliq; natura, cui nomen est aer, græcum illud quidem, sed perceptum iam tamen usu, à nostris tritum est pro latino. Quo in Ciceronis loco, ijs quidem in libris quos legi, perperam & corrupte legitur animabilis, pro animalis. Sunt enim in libris Ciceronis innumerabiles penè errores, quos propediem me ostensurum esse confido. Atq; etiam in superiore Ciceronis loco erratum esse puto illud, Sed perceptũ iam tamen usu, pro receptũ. Proferemus etiam locum alium, ex quo idem multo etiam facilius intelligetur. In tertio de Natura deorum libro: Etenim aut simplex est natura animantis, ut uel terrena sit, uel ignea, uel animalis, uel humida: quod quale sit, ne intelligi quidem potest: aut concreta (sic enim legendum est, non concretum) ex pluribus naturis. τὸ ἀέριον, animale dicit: & τὸ ὑδαρὲς, non aqueum, sed humidũ: quod diligenter obseruandum est. Aera autem spiritum etiam dicit, ut secundo de Natura deorum: Quin & humorem & calorem, qui est fusus in corpore, & terrenam ipsam uiscerum soliditatem, animum deniq; illum spirabilẽ, si quis quærat unde habemus, apparet, quòd aliud à terra sumpsimus, aliud ab humore, aliud ab igne, aliud ab aere eo quem spiritum dicimus. Quo in loco non Animum illum, sed Animam illam legendum arbitror. Dicit enim animam semper, spiritum quem ducimus, ut apparet ex primo libro quæstionum Tusc. Nam & agere animam, & efflare dicimus.

9 ἔτερει δ' ἄμμα λιθάκος κεπίας. τὸ ἀιδαίνιδαι δ'

ψυχῆς οἰκειότατον ὑπολαμβάνοντες: Alij autem, in his Crètius, sanguinem eum esse ponunt, quòd sensum animi proprium maximè existiment.) Cicero in primo quæstionum Tusculanarũ libro hanc sententiam uult esse Empedoclis. Scribit enim his ferè uerbis: Empedocles autem animũ esse censet, cordi suffusum sanguinem. Aristoteles uerò paulo suprà, Empedoclem ait censere, animum quatuor nota rerum initia ita esse, ut unũquodq; eorum animũ esse ponat. Itaq; uersus eius, quibus hoc ipsum tradit, eo loco profert.

ὅσοι ἐναντιώσεις ποιοῦσιν ἐν τοῖς ἀρχαῖς, καὶ τὴν ψυχὴν ἐκ τῶν ἐναντίων συνιστᾶσιν. οἱ μὲν δὲ τῶν ἐναντίων τὸ ἐναντίων· οἷον θερμὸν, ἢ ψυχρὸν, ἢ τοιοῦτον ἄλλο, καὶ τὴν ψυχὴν ὁμοίως τούτων εἶναί τινα φασι. διὸ καὶ τοῖς ἐνόμασι ἀκολουθοῦσιν, οἱ μὲν τὸ θερμὸν λέγοντες, ὅτι διὰ τοῦτο καὶ τὸ ζῆν ὠνόμασται. οἱ δὲ τὸ ψυχρὸν, διὰ τὴν ἀναπνοὴν καὶ τὴν διακάτψυξιν διαλαμβάνειν ψυχήν: id est, Qui autem repugnantiam in principijs statuunt, ij ex contrarijs etiam animũ constare uolunt. Qui uerò alterum cõtrariorum, ut calorem, uel frigus, aut aliquid aliud eiusdem generis, animum etiam eodem modo aliquid horũ esse ponunt. Itaq; nomina consectantur, alijq; τὸ θερμὸν, id est, calorem esse dicunt, propterea quòd ex eo etiam τὸ ζῆν, id est, uita appellata sit: alij τὸ ψυχρὸν, id est, frigus, quòd ex respiratione, & διὰ τὴν διακάτψυξιν, id est, ex refrigeratione, ψυχὴ, id est, animus sit uocatus.) Hoc loco Aristoteles sententias eorum enumerat, qui animum aut plura contraria, aut unum esse ponũt. Et quoniam eos ex uerborum etiam origine opiniones suas duxisse asserit, argumentum eorum à notatione uerbi sumitur. quod cum uiderem non satis constare posse, si tantum latina uerba, quæ originem eam quã græca, minimè declarant, posuissem, græca etiam adhibenda censui. Discemus ergo τὸ ζῆν, id est uiuere, à calore ductum esse, quoniam ζέω efferuesco dicitur: & ψυχὴ ἀπὸ τοῦ ψύχειν, uel ἀπὸ τῆς διακαταψύξεως, id est, à refrigeratione,

quòd

quòd scilicet ductu spiritus calorem nimium temperet atque refrigeret.

In tertium Caput.

11 Διχῶς ἢ κινεμένη πάντος, ἢ γὰ καθ' ἕτερον, ἢ καθ' αὐτὸ καθ' ἕτερον ἢ λέγομεν ὅσα κινεῖται τῷ ἐν κινεμένῳ εἶναι, οἷον πλωτῆρες: id est, Duobus autem modis omnia mouentur, aut alieno & externo impulsu, aut suo & proprio. Alieno autem motu aliquid cieri dicimus, quod eo ipso mouetur, quia in eo sit quod ipsum mouetur, ut nautæ.) Hoc loco καθ' ἕτερον κινεῖσθαι idem ualet, quod κατὰ συμβεβηκός. Itaq; paulo infrà pro illo hoc Aristoteles usurpat. Quod quo facilius intelligi possit, eius uerba proferam. Est enim hoc genus κατὰ συμβεβηκὸς κινεῖσθαι, in ijs quæ ab alijs inepte dicuntur, ut per accidens moueri. ἀ δ' ἔστιν ἡ οὐσία τῆ ψυχῆς τὸ κινεῖν ἑαυτὸν, ἢ κατὰ συμβεβηκὸς τὸ κινεῖσθαι αὐτῇ ὑπάρξει· ὥσπερ τῷ λευκῷ, ἢ τῷ βιπύχει. κινεῖται γὰ οὐ ταῦτα, ἀλλὰ κατὰ συμβεβηκός. ᾧ γὰ ὑπάρχουσιν, ἐκεῖνο κινεῖται τὸ σῶμα: id est, Quòd si animi natura & definitio est, seipsum motu ciere, certè motu alieno & externo minimè agitatur: quemadmodum ea res quæ alba est, & quæ trium cubitorum. Mouentur enim hæ etiam res, sed pulsu externo: quoniam corpus in quo insunt, ipsum mouetur. Notandum est diligenter hoc interpretandi genus, & retinendum, illud uerò ut barbarum repudiandũ. κατὰ συμβεβηκὸς ergo, siue καθ' ἕτερον κινεῖσθαι, diserte his modis interpretabimur, cum idem ualeant: Alieno motu cieri, alieno pulsu & impulsu agitari, externo pulsu agitari: ab alio moueri, agitari aliunde. Plato quidem ὅτι' ἄλλο κινεῖσθαι hæc postrema dicit, aut potius Cicero hæc illius genera dicendi, ita interpretatur. Illud autẽ, externo pulsu agitari, ἐξωθοῦν κινεῖσθαι à Platone dicitur: ut ἐνδοθὲν κινεῖσθαι, quod est Platonis, Cicero dicit cieri motu interiore & suo: quod idem efficit, & illud, καθ' αὑτὸ κινεῖσθαι. Ego in libro de Optimo genere in-

re interpretandi, locum Platonis ex Phædro à Cicerone conuersum in sexto de Repub. libro, cuius non extat nisi Somnium Scipionis, & in primo quæst. Tusc. posui, in quo horum omnium exempla reperientur. Eundem etiam locum magna ex parte in secundo de Natura deorum interpretatus est, in quo sua sponte moueri ἀφ' αὑτὸ dicit, & κίνησιν τὴν κατὰ συμβεβηκὸς, externum motum. Quod autem dixi, κατὰ συμβεβηκὸς & ὑπ' ἄλλα, siue ἀφ' ἑτέρου, idem ualere, non omnino intelligo: sed ita, ut quicquid mouetur κατὰ συμβεβηκὸς, etiam ὑπ' ἄλλα moueatur, non contrà. Ita fit, ut quoties τὸ κατὰ συμβεβηκὸς κινεῖσθαι nobis uertendum erit, rectè ijs omnibus modis, quos modò exposui, possimus conuertere.

12 Τεσσάρων δὲ κινήσεων ἐσῶν, φορᾶς, ἀλλοιώσεως, φθίσεως, αὐξήσεως, &c. Cum autē motus quatuor genera sint, loci mutatio, commutatio, imminutio, accessio, &c.) φορὰν alij lationem barbarè dicunt, ut alio loco docui. Alio loco ἡ κατὰ τόπον κίνησις ab Aristotele dicitur, & κινεῖσθαι κατὰ τόπον, quod Cicero dicit, moueri loco: cum illud motus loci non rectè dicatur, sed mutatio loci. Cicero in Timæo Platonis: Quinq; autem reliquis motibus orbem cum esse uoluit immobilem & stantem: ex quo genere ea sunt sidera, quæ infixa cœlo, non mouentur loco, id est, ἀπλανῆ. ἀλλοίωσιν Cicero commutationem dicit, & ἀλλοιοῦσθαι, immutari & commutari, quod docui alio loco. Itaq; uitanda sunt alterationis & alterandi uerba, ut barbara. Aliud autem est φορὰ, aliud περιφορὰ, uel κυκλοφορία: ut aliud animal, aliud homo. Hoc autem posterius barbarè circumlatio ab ijs dicitur, qui libros de Natura transtulerunt. Dici autem debet conuersio: ut περιφέρεσθαι & κύκλῳ φέρεσθαι, in orbem circumq; ferri & incitari. Cicero in secūdo de Natura deorum, probans Aristotelis de generibus motus sententiam: Quæ autem naturæ mouerentur, hæc aut ponde-

re de-

re deorsum, aut leuitate in sublime ferri cẽsuit, scilicet quorum neutrum astris cõtingeret, propterea quòd eorum motus in orbem circumq; ferretur. Itaq; περιφορὰν, motũ qui in orbem circumq; fertur, uertere possumus. Paulo infrà, eadem pagina: Nam cum duo sint genera siderũ, quorum alterum spacijs immutabilibus ab ortu ad occasum commeans, nullum unquam cursus sui uestigium inflectat: alterum autem continua conuersione sui, ijsdem spacijs cursibusq; conficiat: ex utraq; re & mundi uolubilitas, quæ nisi in globosa forma esse non posset, & stellarum rotundi ambitus cognoscuntur. Hoc loco conuersio non περιφορὰ uidetur esse, sed potius reuersio, id est, ἀπανακύκλησις. Sic enim à Cicerone in Timæo uertitur, id est, cõuersio. Conuertere enim contrà uertere dicitur, ut ἀντιστρέφειν, & conuerti ἀντιστρέφεσθαι: de qua uerbi huius significatione, alio loco dixi. Quanquam nihil prohibet, superiore loco cõuersionem περιφορὰν dici. Volubilitas eodem in loco idem efficit. Itaq; idem auctor cõuertit hoc Platonis in Timæo, καὶ λύκλῳ δὴ λύκλον τριφόμενον ὁρανὸν ἕνα μόνον ὄντα μόνον ἐποίησεν: Cœlo q; soluago & uolubili, & in orbem incitato, complexus est. περιστρέφειν ἑαυτὸν λύκλῳ, uertere & torquere se circum se, Cicero in Timæo dicit. Sed de his omnibus dicendi generibus, alijsq; eiusdem generis, alio loco cõmodius, Deo iuuante, dicemus: ut de illo, quo in primo quæstionũ Tusculanarum libro Cicero utitur, Pondere ad pares angulos in terram ferri: quod est in secundo libro de Cœlo extremo, φέρεσθαι ἐπὶ γῆν κατὰ πάθμα πρὸς ὁμοίας γωνίας. Et quod Aristoteles eodem loco dicit, ἐπ' εὐθείας φέρεσθαι, Cicero eodem libro uocat, rectis lineis ferri.

13 εἰ ἢ ἔστι ἐνδέχεται, καὶ ἐξελθοῦσαν εἰσίεναι πάλιν ἐνδέχεται· εἴπερ τοῦτο δ' ἔποιτ' ἂν τὸ ἀνίστασθαι τὰ τεθνεῶτα τῶν ζώων: id est, Quod si fieri potest, hoc etiã fieri poterit, ut ipse cum è corpore exceßerit, rursus intret. Ex quo sequitur, animantia quæ

tia quæ mortua sint, excitari ac reuiuiscere.) ἐξέρχεσθαι τὸν ψυχὸν, Cicero excedere ex corpore solet dicere. In libro de Amicitia: Neq; enim assentior iis, &c. iisq; cum è corporibus excessissent, reditum ad cœlum patêre. Aliis locis ita ferè. In libro autem de Senectute, uerbum è uerbo, ex corpore exire dicit. Mihi quidem nunquam persuaderi potuit, animos, dum in corporibus essent mortalibus, uiuere: cum exissent ex iis, emori. Verba sunt Cyri morientis ad liberos apud Xenophontem: quo in loco non ἐξέρχεσθαι, siue ἐξιέναι positum est, sed τὸ ἀπαλλαγῆναι. Verba eius hæc sunt: ἔτοι ἐγωγε, ὦ παῖδες, δοκῶ τοῦτο πάσχειν ἐπείπερ, ὡς ἡ ψυχὴ ἔως μὲν ἂν ἐν θνητῷ σώματι ᾖ, ζῇ, ὅταν δὲ τοῦτο ἀπαλλαγῇ, τεθνήκῃ. ἀπαλλαγὴν discessum uocat, in primo libro quæstionũ Tusculanarũ: An quoniam ipse animi discessus à corpore non fit sine dolore? Itaq; Plato in Phædone quærit, quid mortem putemus esse: & respondet, ἆρα μὴ ἄλλοτι, ἢ τινὶ δὴ ψυχῆς ἀπαλλαγή? id est, an aliud quicquam, nisi animi è corpore discessum? Multa sunt alia, quæ hoc loco dicere possum, sed alio commodius dici posse arbitror. ἀνίστασθαι resurgere indiserte alij, ne dicam barbarè, dicunt: Cicero, excitari ab inferis.

14 ὥστε εἰ πᾶσα κίνησις ἑκατέρᾳ τῇ κινουμένῃ ἢ κινεῖται, καὶ ἡ ψυχὴ ἔξιστατο ἂν ἐκ τῆς οἰκείας, εἰ μὴ κατὰ συμβεβηκὸς αὐτὴν κινεῖται: id est, Ex quo fiet, ut si motus omnis est quædam rei quæ mouetur, quia moueatur, ex suo statu dimotio, animus à sua natura discessurus sit, nisi externo se motu cieat.) Hoc extremum, Nisi externo se motu cieat, ita interpretor, ut accusandi casũ αὐτὴν asperο spiritu legendum putem. quod magis propriè ita diceretur, εἰ μὴ κατὰ συμβεβηκὸς αὐτὴ κινεῖται: propriè enim nihil seipsum motu externo ciet. Mihi autem etiam ea lectio probanda uidetur: atque haud scio, an magis, si αὐτὴν leni spiritu legamus, ut in uerbo κινεῖ τὰ ἀνθρωπάρια intelligamus, quæ animum externo pul

su agi-

ſu agitent. ἐκστασις autem à nobis alio loco dimotio ex ſuo ſtatu dicta eſt, Ciceronemq; auctorem tum protulimus. Ita βίασθαι ἐκ τῆς ἕξεως, erit ex ſuo ſtatu dimoueri & diſcedere: & quod idem Cicero dicit, naturam ſuam deſerere, aut à ſe diſcedere: quoniam ἕξις, natura cuiuſq; dicitur: & τὸ ἄνω, quod ſtatum multis locis diximus, idem quod ἕξις multis locis ualet.

15 Τὸν αὐτὸν δ' τρόπον καὶ ὁ τιμαῖος φυσιολογῶν φησὶν ψυχικὰς κινεῖν τὸ σῶμα. τῷ γὰρ κινεῖν αὐτὸ, καὶ τὸ σῶμα κινεῖν, &c. Eodem autem modo Timæus etiam tradit naturalibus rationibus corpus ab animo moueri: quoniam enim ſe ipſe mouet, hoc ipſo eum etiam corpus mouere, &c.) κινεῖσθαι priore loco corruptè legitur, quod ex accuſandi caſu ἑαυτὸν intelligi poteſt. Hic autem locus eſt apud Platonem in Timæo, ſed multo obſcurius explicatus. Qui autem uolet, conferat hunc locum totum cum illo Platonis, adhibita Ciceronis interpretatione, ab eo ferè loco, quo de interualliſ diſſerit: interualla enim illa Ariſtoteles hoc loco ἁρμονικὰς ἀριθμοὺς uocat.

16 ἔτι δὲ καὶ ἡ νόησις ἴσως ἠρεμίσει τινὶ, καὶ ἠρεμήσει μᾶλλον, ἢ κινήσει: id eſt, Et animi perceptio propius ad quietem & ſtatum, quàm ad motum accedit.) ἠρεμησιν quietem dici, uulgare eſt: ἵστασιν autem ſtatum appellari, nouum eſt ferè his temporibus. Cicero autem uacuitatem motus, ſtatum, non quietem ſolet dicere. In primo de Officijs libro: Status, inceſſus, ſeſſio, accubatio, uultus, oculi, manuũ motus teneant illud decorum. Quanquam ſtatus eſt στάσις potius: quo etiam uerbo & hic & alibi ſæpe utitur Ariſtoteles. ἵστασις autem, inſtitio, ut ἱστάναι inſiſtere dicitur, quod etiam ἵστασθαι Ariſtoteles ſæpe dicit. Itaq; ſtellarum inſtitiones Cicero latinè appellat, quas ſtationes uulgus Aſtrologorum uocat. Et quoniam nemo eorum qui adhuc libros Ciceronis diuulgarunt, quid eſſet inſtitio, uidit, omnes

locum

locum Ciceronis corruptum reliquerunt, aut potius corrú-
perunt, cum se correcturos putarent. Scripserunt enim In-
stitutiones, quod etiam in posteriorib. Analyticis Aristote-
lis notauimus. In primo libro quæstionum Tusculanarum:
Aut quis errantium stellarũ motus, cursus, progressiones,
institiones notauit? Verbum Insistere sæpe dicit, pro eo
quod est non moueri, sed tam in stellis, quàm alys rebus. In
stellis, ut in secundo de Natura deorum libro: Quod eo est
admirabilius in ijs stellis, quas dicimus, quia tum occultan-
tur, tum rursus aperiuntur, tum abeunt, tum recedunt, tum
antecedunt, tum autem subsequuntur, tum celerius mouen-
tur, tum ne mouentur quidem, sed ad quoddam tempus insi-
stunt. In quarto Academic. quæstionum: Sed negas te usq
ad obscura progredi, illustribus igitur in rebus insistis. In e-
nim præpositio in libris malè omissa est. Quod etiam ex eo
loco, qui paulo infrà, tertio ferè uersu sequitur, intelligi po-
test: Sin autem usque ad nouem, uerbi gratia, sine dubita-
tione respondes pauca esse, in decimo insistis, &c.

In quartum Caput.

17 ἁρμονίαν γάρ τινα αὐτὴν τινὲς λέγουσι: Nonnulli e-
nim eum harmoniam quandam esse tradunt.) Mihi per-
mirum uidetur, quòd Cicero, qui hos Aristotelis de Animo
libros legit, hanc sententiã Aristoxeno illius discipulo qua-
si inuentori assignat. Ait enim in primo quæstionum Tusc
lanarum libro: Proximè autẽ Aristoxenus musicus, idemq;
philosophus, ipsius corporis intentionem quandam, uelu
in cantu & fidibus, quæ harmonia dicitur, sic ex corporis
totius natura & figura uarios modos cieri, tanquã in can
tu sonos. Tertia pagina ferè pòst, de eodem loquens: Sed
hic quidem quamuis eruditus sit, sicut est, hæc
magistro concedat Aristoteli, ca
nere ipse doceat.

IN

IN SECVNDVM LIBRVM Obseruationes.

In primum Caput.

1 Λέγομεν δὴ ἓν τι γένει τῶν ὄντων, τὴν οὐσίαν. ταύτης δὲ τὸ μὲν ὡς ὕλην, ὃ λέγεται αὐτὸ μὲν οὐκ ἔστι τόδε τι. ἕτερον δὲ μορφὴν καὶ εἶδος, καθ' ὃ δὴ λέγεται τόδε τι ὂν ἤδη χωριστὸν, τὸ ἐκ τούτων. ἔστι δὲ ὑλικὸν μὲν ὕλη, ἀνάγκη· τὸ δὲ εἶδος, ἐντελέχεια, καὶ ἔστιν αὕτη διχῶς, τὸ μὲν ὡς ἐπιστήμη, τὸ δὲ ὡς τὸ θεωρεῖν. Paulo infrà, tertio uersu, τόδε ἀναγκαῖον ἄρα τὴν ψυχὴν οὐσίαν εἶναι, ὡς εἶδος σώματος φυσικοῦ δυνάμει ζωὴν ἔχοντος, οἵα ἡ οὐσία, ἐντελέχεια. τοιούτου ἄρα σώματος ἐντελέχεια. Paulo etiam infrà, tertio fere uersu, διὸ ψυχή ἐστιν ἐντελέχεια ἡ πρώτη σώματος φυσικοῦ ζωὴν ἔχοντος δυνάμει. τοιοῦτον δὲ, ὃ ἂν ᾖ ὀργανικόν. & quæ sequuntur.) Exquirit hoc loco Aristoteles, quid sit animus. Et quoniam omnis definitio ex genere ac differentijs constat, ut eidem placet, primùm diuisis rebus in tria genera, ab enumeratione animum formam & speciem esse concludit. Quoniamq; eorum quæ idem efficiunt & declarant, unum pro altero subijci potest, posteaquam formam & speciem ἐντελέχειαν esse posuit, animum primùm speciem, deinde ἐντελέχειαν esse statuit. Est autem duplex, ut forma & species, sic ἐντελέχεια: quarũ utraq; non re ipsa, sed cogitatione & ratione sola distinguitur. Neq; enim animus, cum homo dormit, aliud est, aliud cum non dormit: nisi quòd animum, cum homo dormit, ut nihil agentem eorum quæ homine digna sunt: cum uerò uigilat, ut aliquid agentem mente cernimus & cogitamus. Sed de his hactenus. Hoc autem loco difficilis quædam existit quæstio, de qua me initio harum Obseruationum, quid sentirem, dicturum esse promisi. Multi enim quærunt, sitne ab Aristotele scriptum ἐντελέχεια per τ, an per λ, ἐνλελέχεια. Quæ quidem quæstio orta est ex eo, quòd in antiquis omnibus Aristotelis exemplaribus, quæ quidẽ adhuc tam Græci, quàm

homines nostri legerint, τ litera legatur, & tamen Cicer aliter legisse uideatur, qui hoc uocabulum in primo quæ stionum Tusculanarum libro, quandam continuatam mo tionem & perennem interpretatur. Vtrum igitur hoc, a illud scripserit Aristoteles, magna inter doctos homine dissensio est. Sunt qui ut Ciceronem defendant, in his An gelus Politianus, & Melanchthon, d in secunda syllaba prima legendum putant, & Aristotelis libros, quos habe mus, corruptos esse dicunt. Alij, in his Budæus, τ eadem sy laba scriptum ab Aristotele existimant. De scripto quidem quid sentiam, ex his intelligi licebit. Aristoteles principio tertij libri de Natura, motũ appellat τὴν τ δυνάμει ἐντ ἐντελέχειαν, ἢ τοιοῦτον. Ita fit, ut quintam naturam, ex qua constarent astra & mentes, entelechiam non appellauerit. Motus enim non est perennis agitatio, nisi in naturis cœlestibus. Deinde animum Aristoteles non ex entelechia constare, sed entelechiam esse dicit: quemadmodum ex eius definitione, quam paulo antè protuli, intelligi licet. Præterea si ἐντελέχεια ἐνέργεια & ab Aristotele dicitur, & ab ijs qui quondam nobis libros qui uocabulorũ significationes profitentur, reliquerunt, & ab ijsdem ἐνδελέχεια, siue ἐνδελεχισμὸς, cõtinuatio & constantia appellatur, certè ἐντελέχεια per τ ab Aristotele scriptum est. Hæc enim uerba duo, ut diuerso modo scribũtur, sic diuersa declarant. ἐνέργειαν autem pro ἐντελεχείᾳ passim ab Aristotele dici, neminem eorum qui aliqua ex parte Aristotelis libros euoluerunt, ignorare arbitror. Vt enim dicit λύπησιν ἐντελέχειαν in tertio de Natura libro, sic ἐνέργειαν. Quod ex uno atq; eodem exemplo bis prolato intelligi licet, quorum in priore ἐντελέχειαν & δύναμιν dicit, in posteriore δύναμιν & ἐντελέχειαν. Verba eius hæc sunt, ὅτι ἡ μὲν τό ἐστιν ἡ λύπησις, ἐντὸς ὑβρις λύπη. ὅταν γὰρ τὸ οἰκοδομητὸν ἢ τοιοῦτον αὐτὸ λέγωμεν εἶναι ἐντελέχεια ἢ οἰκοδομεῖται, ἡ δὲ τοῦ μὲν οἰκοδόμησις. Paulo infrà,

decimo

decimo ferè uersu, ἐπεὶ δ' ὃ ταὐτὸν, ὥσπερ οὐδὲ χρῶμα ταὐτὸν καὶ ὁρατὸν, ἡ τὸ λωστὸν ἢ λωστὸν ἐντελέχεια, φανερὸν ὅτι κίνησίς ἐστιν. ὅτι μὲν οὖν αὕτη, καὶ ὅτι συμβαίνει, τότε κινεῖσθαι, ὅταν ἡ ἐντελέχεια ἡ αὐτὴ, καὶ ὅτε πρότερον, οὐ ὅτε ὕστερον, δῆλον. ἐνδέχεται γὰρ ἕκαστον ὅτε μὲν ἐνεργεῖν, ὅτε δ' οὐ· οἷον τὸ οἰκοδομητὸν, καὶ ἡ τὸ οἰκοδομητὸν ἐνέργεια, ἡ οἰκοδομητὸν, οἰκοδόμησίς ἐστιν. ἡ γὰρ τοῦ ἐστιν ἡ οἰκοδόμησις ἡ ἐνέργεια τοῦ οἰκοδομητοῦ, ἢ ἡ οἰκία. ἀλλ' ὅταν οἰκία ᾖ, ἤδη τι οἰκοδομητὸν ἔσται. οἰκοδομεῖται δὲ τὸ οἰκοδομητόν. ἀνάγκη ἄρα τῶν οἰκοδόμησιν τῶν ἐνέργειαν εἶναι· ἡ δὲ οἰκοδόμησις, κίνησίς τίς ἐστι: id est, Hoc autem motum esse, hinc perspici licet. Cum enim id quod ædificari potest, quatenus tale ipsum esse dicimus, entelechia est: tum ædificatur, estq; hoc opera quæ in ædificando ponitur. Paulò infrà, decimo ferè uersu: Quoniam autem non idem sunt, quemadmodum ne color quidem est idem quod res quæ sub aspectum cadit: certè hoc perspicuum est, rei quæ potest, qua ex parte potest, entelechiam, esse motum. Ac illud quidem perspicuum est, hanc ipsam esse motum: actum deniq; moueri aliquid solere, cum hæc ipsa entelechia est, non prius, nec posterius. Fieri enim potest, ut unaquæq; res interdum agat, interdũ non agat: ueluti id quod ædificari potest, & eius quod ædificari potest actio, opera est, quæ in ædificando consumitur: aut enim illa opera est, rei quæ ædificari potest actio, aut domus. Atqui cum domus est, non iam est id quod ædificari potest, & ædificatur id quod ædificari potest. Necesse est igitur, operam eam quæ in ædificando ponitur, esse actionem, cum illa opera motus sit quidã. Hoc quidem loco uidemus, ἐντελέχειαν & ἐνέργειαν pro eodem ab Aristotele dici. Hoc etiam docerem pluribus, nisi insuauis esset & iniucunda oratio, & omnes uulgò actum pro eodem dicere solerent. Hesychius etiam, qui uetus est uocabulorum interpres, idem docet. ἐντελέχειαν enim interpretatur hoc modo, ἐντελέχεια, ἐνέργεια.

& ἐνδελεχισμὸς ab eodē ἀδιαλείπτως, σωιεχῶς, ἐπιμόνως dicitur. Quòd si hæc non idem ualent, et Aristoteles ἐντελέχειαν semper pro ἐνεργείᾳ dicit, in his etiã libris de Animo, quos interpretati sumus, profectò ἐντελέχειαν per τ scriptum reliquit. Alioqui quo tandem modo ij qui in ea sententia sunt, ut ἐνδελέχειαν per δ scriptum ab Aristotele dicant, interpretari poterunt id quod idem initio ferè tertij libri de Natura ait, οἷον ὁ ἐντελεχείας ἄνθρωπος ποιεῖ ἐκ τοῦ δυνάμει ὄντος ἄνθρωπον. Mihi enim hoc dicendum uidetur hoc modo: Veluti homo, qui re ipsa est, uel qui est in rerũ natura, ex eo quod homo esse potest, id est, ex semine, hominem gignit. Idem enim hæc tria, ἐντελεχείᾳ, ἐνεργείᾳ, & quo utũtur oratores, τῷ ὄντι λέγω, declarare mihi interdum uidentur, eodemq; modo dicenda & uertenda censeo. Eiusdem generis est illud quod idem Aristoteles in hoc secundo dicit, τοιοῦτον ἦν τὸ διαφανὲς μέν, ἀλλ' οὐχ ὅταν ᾖ ἐντελεχείᾳ διαφανὲς, ἀλλ' ὅταν δυνάμει: id est, Talis est res perlucida, non quando re ipsa perlucida est, sed cum esse potest. Illud enim, τῷ δυνάμει ὄν, si ita exponamus, ut cæteri, minus latina erit oratio. Dicunt enim, Quod potentia est, ut illud quod actu. Est etiam in eodem genere illud eiusdem in hoc libro, τὸ ἦν φῶς, οἷον χρῶμά ἐστι τοῦ διαφανοῦς, ὅταν ᾖ ἐντελεχείᾳ τοῦτο πυρὸς ἢ τοιοῦτο: id est, Lumen autem est quasi color rei perlucidæ, cum re ipsa igni, aut alicui eiusdem generis subijcitur, est, cum aliquid ipsum re ipsa effundit. ἐντελέχεια autem in nominandi casu, ut in definitione animi, perfectio mihi dicenda uidetur, idq; multis de causis. Primum, quòd animus ἕξιν & μορφὴν ab Aristotele dicitur. Species autem & forma, perfectio est eius in quo est. Siquidem forma est causa cur quidq; sit: & quod est causa cur quidq; sit in rerum natura, idem etiam causa est eorum omnium quæ naturam sequuntur. Deinde, quòd animus corporis perfectio est, quemadmodũ forma omnis eius

in quo

